I. N. J.

DISPUTATIO MEDICA
DE
PESTE, MORBORUM PRINCIPE,

Qvam

Indultu Gratioſ. Facultatis Medicæ

SUB PRÆSIDIO

VIRI MAGNIFICI, NOBILISSIMI, AMPLISSIMI, EXPERIENTISSIMI,

DN. CONRADI VICTORIS SCHNEIDERI,

Phil. & Medicin. D. & P. P. celeberrimi,

Ejuſdem Facultatis Senioris graviſſimi, Potentiſſ. Elector. Saxon. & Brandenb. nec non Princip. Anhaltin. Archiatri feliciſſimi,

DN. PATRONI PRÆCEPTORIS & PROMOTORIS religioſe venerandi.

Publicæ diſqviſitioni ſubjiciet.

M. JOHANNES GERDES,

Svec. Holmiens.

In Auditorio Medico,

Ad d. 22. Jul. horis antimeridianis, Anno cIↃ IↃc LXXX.

WITTENBERGÆ,

Typis CHRISTIANI SCHRÖDTERI.

I. N. J.

PROOEMIUM.

VNa tantùm eſt Sanitas, infiniti ſunt morbi. Una omnibus lex ſuprema, MORS, Genus mortis diverſum. Nunc æſtu Sangvis aduritur intempeſtivo, mox frigore percutitur ſiderante; nunc tabe Spiritus conſumuntur tædioſa, mox deſtillatione ſupprimuntur ſuffocante; Hos inquietudo & veſania enecat, alios ſtupor & torpor jugulat.

Media equidem paravit his & ſimilibus affectibus provida natura, non contemnenda, Mortis tamen vim minime ſuperantia. (Nec ea in hac ſtatus humani corruptione, intentio altiſſimi fuit.) Habet quidem Medicina unde repelluntur & inhibentur acceſſiones morboſæ, non ejiciuntur & tolluntur penit9, remanet fomes in internis corporis humani receſſib9; excitatur idem per varia ingeſta externa, cum tutisſima quæq; telum Mortis posſideant occultatum; Ut recte dixerint ſapientiores: *Mortem ubiq; Salutem nullibi deprehendi*; ſiquidem aer non raro inſidioſus, pocula malefida, ipſæq; dapes carnifices, ſed & homo ſæpius homini *Mors*.

Quantumvis autem affectuum morboſorum numerus innumerus, compendioſe tamen eos omnes ferè ſpectamus in peſtilentiali lue conjunctos; Ut ut ob contrarietatē cauſarū ſæ-

 pius

pius ſibi invicem videantur contrarii, mirabili tamen conſociatione, in ruinam totius œconomiæ corporis humani hîc conſpiratos quaſi offendimus.

Nuncupamus proinde hoc malum rectius *morborum colluviem* quam morbum; cum nihil in Pathologia aut morbus aut Symptoma audiat, quod huic affectui proprium eſſe nequeat.

Indeq; non admiramur amplius ejus in afficiendo atrocitatem, nec in agendo celeritatem, cum conjunctis viribꝰ feliciꝰ & citius id præſtetur, quod ſejunctis aut plane non, aut minimum tardius in effectum producitur:

Tanta morbi hujus gravitas, invitavit omni tempore accuratisſima quævis ingenia ad ſui intimiorē conſiderationem, quæ in ſcrutinio ejus naturæ deſudarunt inſigniter, fructumq; lucubrationum Scriptis ſuis reliquerunt. Quam feliciter & ſufficienter, noſtrum non eſt judicare, nec per ingenii vires id nobis licitū. Placet potiores ejus argumenti Scriptores inanteceſſū hîc enumerare, quo partim morbi hujus gravitas tot Excell. Excell, virorū judiciis probata, innoteſcat magis, partim noſtra diſſertatio frequentioribus citatis non interrupta, fluat liberius. Laborarunt in eo, Primus *Hippocrates ſenex venerandus, dein Galenus, Corn. Celſus, Andr. Cæſalpinus, Franc. Alphanius, Donat. Ab Altomari, Avicenna, Joh. Caſtellus, Rodericus à Caſtro, Joh. Crato, Joh. Dalecampius, Angel. Decembris, Bernh. Deſſenius, Claud. Faber, Marſil. Ficinus, Anton. Farneſius, Hieron. Fracaſtorius, Anton. Fumanella, Gentilis de Fulgineto, Jacob. Gengerus, Ludov. Gardinius, Rudolph. Goclenius, Anton. Gnaynerius, Guil. Gratarolus, Joh. Heurnius, Theoph. Paracelſus, Laur. Joubertus, Anton. Lancellotus, Zacutus Luſitanus, Abrah. Machfredus, Valerius Martinius, Oddus de Oddis, Guil. Rondelitius, Joh. Palmarius, Anton Portus, Joſeph. Quercetanus, Georg. Rivettus, Joh. Anton. Sacracenus, Herc. Saxonia, Petr. Schotanus, Balthaſar*

Tiſſæus

Timæus à Guldenklee, Matth. Unzerus B.D. Dan. Sennertus nec non *Excell. D. D. Michael Sennertus Franciſc. de le Boe Sylvius, Paul. Barbette, Joh. Baptiſta VanHelmond, Paulus de Sorbait, & nuperior DobrZenscki* &c. &c. Poterat Horum Excell. Auctorum gravitas, & ingenioſa morbi P. deſcriptio ab inſtituto meo me facile deterrere; Niſi me iterũ erigeret mea intentio, quæ non eſt eruditisſimas eorum opiniones impugnare (neq; per modeſtiam id integrum) ſed veſtigia eorum legere, ſententias conferre, potiora eligere & quæ propria ingenii vis ſuggerit, iisdem addere ac defendendo ingenium exercere. Hic meus Scopus, ut per gratiam divinam obtineatur, eſt quod ſupplicibus ſuſpiriis à Sapientisſimo Numine id exorem: Benedicat cepto Jehovah ex altisſimis!

CAP. I.

DE DEFINITIONE PESTIS.

§. 1. Recepto more nunc prius ageremus de vocis morbi Peſt. origine, & cui ortum ſuum debeat; aſt cum nihil aut parum lucis telæ noſtræ pertexendæ afferat, multis id perſequi, ſupervacaneum æſtimamus; Relinquimus proinde id Grammaticis contenti affectum hunc, ſub nomine iſto tam manifeſtum eſſe, ut nulli niſi plane rudi, & omnis conſortii humani experti latere poſſit.

§. 2 Sic quoq; varia vocis acceptio, nullam conceptui aut intellectui moram facere poteſt; Diſſertatio enim noſtra medica eſt, objectumq; ejus affectus, quem ſi nuncupes, omnes nominis hujus denotationes civiles & politicas facile removebis. Dicitur communiter *Peſtis* ſ. *Peſtilentia*, *Malum Epidemium*, aliis *Febris Peſtilentialis* Græci λοιμὸν nuncupant, Germani die Peſt oder Peſtilenzialiſche Säuche/ das Sterben.

§. 3. Ut proinde inſtitutum pro intentione perficiamus,

rem ipſam aggredimur. Initium facturi à Definitione peſtilentialis hujus morbi, quo tanquam in compendio natura & eſſentia ejus percipiatur. Delineamus itaq; eum per *Morbum Epidemium ſ. communem, peracutiſſimum & ſumme contagioſum, ortum ab Intemperie totius M. S. inſigni eaq; maligna.*

§. 4. Morbum diximus hunc affectum, in quo nullum contradicentem nos habere ſperamus. Ad quam autem morborum claſſem ſit referendus, non una eſt Sententia. Ut paucis nos expediamus, plurimi Medicorum collocant Peſtem in hoc morborum genere, quod alias communi, qualitatum occultarum titulo inſignitur, moti multitudine ac gravitate Symptomatum eam comitantium, ſimul etiam modo agendi pro manifeſta cauſa admodum celeri ac violenta. Alii reſpicientes ad effervеſcentiam in hoc morbo non levem, calidamqve ſæpius intemperiem, non dubitarunt numerare eundem inter morbos Intemperiei & quidem calidæ, unde etiam à nonnullis febris ipſa dicta, cum ſigna Diagnoſtica, plerumq; cum febribus communia, violentiora licet, habeat. Neutram opinionem noſtram facere poſſumus. Qualitates enim occultæ, ignorantiam culpandam inferunt, quam rationalis Medicus quavis ratione evitare cupit, nec lucem, arti admovente experientia hodierna, eam prætendere decet, ſatius ergo eſt ab occulti nomine abſtinere & laborioſius in cauſas inquirere, monente *D. Wedel. de Fac. Med. L. I. S. I. C. I.* Intemperies autẽ calida nimis ſtricta eſt, ut pro claſſe Peſtilentiarum ponatur generali. Cum enim hæc proprietas Calid. nempe Intemp. non omni competat Peſti, ſed plane contrariæ qualitatis reperiatur idem morbus, prout cauſæ variant, etiam nullo jure omnium ſedes nuncupari poteſt. Cenſemus itaq; referendum eſſe hunc affectum ad morbos equidem *intemperiei*, aſt non ſolum *Calidæ* aut *frigidæ*, ſed etiam & *potiſſimum qualitatum ſecundarum.* prout Symptomata tanquam effectus de ſua *Cauſa modo calida modo frigida modo acida modo alcalina* &c. &c. teſtantur. De quibus in CauſarumEvolutione.

§. 5

§. 5. Additur in deſcriptione P. Epitheton ἐπιδημικῆς i. communis, non ut attributum eſſentiale & naturam venenoſi morbi ingrediens, ſed tanquam conſequens infallibile, & accidens Venenoſi hujus miasmatis inſeparabile. Cum enim vis ejus pernicioſa adeò ſit ac maligna, nunquam in uno ſubjecto nidificat ſolo, Sed contagioso modo longe lateq; diſpergit ſeminaria & quicquid offendit, in conſortium ſuæ conditionis rapit. Manet itaq; communitas ejusdem affectus, unum ex primariis P.M. Signis Diagnoſticis; Quæ ſi abſuerit, aut de vera Peſtis lue dubites, aut impeditam ejus per prophylaxin vim æſtimes, aut τὸ θεῖον quid ſubeſſe judices.

§. 6. Eſſe vero morbum acutum imo extreme peracutum nemo niſi in cognitione ejus naturæ plane hoſpes facile negabit. Ita quippe inſidiatur Spiritibus vitalibus, ut vix præſentia ejus cognoſcatur prius, quam nativum robur debilitatum, flammula vitalis pene tota ſuffocata & œconomia corporis humani penitus inverſa eſt. Teſtantur id citiſſimus virium lapſus, lipothymiæ ac ſyncopes frequentiores, & tandem mors paucas intra horas ſæpe approperans.

CAP. II.

DE SUBJECTO.

§. 1. Peſtem cauſari plerarumq; imo omnium actionum Vitalium læſionem, Symptomata quamplurima, præſentis morbi ſigna evidentiſſima, evincunt. Unde in eo dubium nullum nobis reliqvum. Sic quoq; manifeſtum, præeſſe iis actionibus Spiritus dicti vitales, quorum activitate, volatilitate vigore & idea à primo ortu impreſſa, tot actiones nobiles & admiratione dignæ, peraguntur. Hos directores, aut *calidum innatum*, aut *flammulam vitalem*, aut *Archeum gubernantem*,

aut *Lucem moventem*, aut *animam ipſam* nuncupes, nobis idem erit.

§. 2. Notum porrò eſt, & ex rationis ſanæ dictamine colligitur, hos Spiritus ob exaltatam naturam (deſcribuntur enim à luciditate, puritate, volatilitate, dulcedine, & qualitate, ad alcalina inclinante. *D. Wirdig. Medic. Spirit. Lib. I.*) per ſe conjunctos ſervari non poſſe, quin ob prius allatam rationem avolent, principioq; primo, cui ortum ſuum debent (Luci ex ſententia, nonnullorum) ſe iterum jungant. Proinde opus habuerunt receptaculo quodam communi, quo tanquam domicilio contineri & ad functiones juſtas obeundas, aptificari poſſunt. Id receptaculum Sangvis eſt, in eo tanquam grato hoſpitio conſervantur, per eum, variis injuriis depauperati, reſtaurantur, & ex eo tandem vi inimica contrariorum expelluntur, quæ expulſio pro mortis Synonymo merito habenda:

§. 3. Cum itaq; actionum vitalium læſio, ſine Spirituum eorundem turbatione fieri nequeat, nec hæc turbatio, niſi in domicilio eorum radicali & proprio, ſangvine nempe, principaliter & primario, contingat, ſequitur *ſubjectũ Peſtis primariũ eſſe totam Maſſã ſangvineam*, quà ab accidente alieno alteratâ, Spirituum V. turbatio, actionumq; earundem læſio neceſſario oritur inſignis.

§. 4. Ab hac ſententiâ recedunt non nulli Medicorum. Qui, ut cordi tribuunt elaborationem Sangvinis & Spirituum Vitalium, proindeq; illud *Arcem vitæ, Spirituum vitalium Officinam, calidi innati ſedem, primum vivens & ultimum moriens*, vocant: Ita quoque ex hâc hypotheſi Maſſam Sangvineam non niſi ſubjectum P. faciunt ſecundarium, primarium autem COR, tanquam totius corporis Principem ac Regem. Aſt ſi dicemus quod res eſt, nec quendam principatum præ cæteris Corporis humani partibus Sanguificationi inſervientibus, cordi tribuere, nec P. Subjectum principale idem dicere poſſumus: ſingulæ enim ad liquorem hunc elaborandum

pro

pro virili contribuunt, & conjunctim id præſtant, quod ſejunctim efficere non poſſent. Quæ ergo Cordi alias aſſignata fuerunt Encomia, verius Maſſæ Sangvineæ competere pronunciamus: In ſangvine enim non Corde prima capiuntur vitæ (& ſic Spirituum vitaliũ) auſpicia. Is, non hoc, eam reliquis communicat corporis partibus. In ſangvine non corde obſervatur tandem obſcura aliqua undulatio & trepidatio, circulationis finis & mortis initium. Quamdiu etiam Sp. vitales in corpore præſentes, per Sangvinem ſe maxime produnt: Conſtantes enim & vegeti circulationem agunt juſtam ac decentem, per pulſum fortem magnum & æqualem ſe exerentẽ, turbati vero & debilitati movent turbulenter debiliter ac inæqualiter, quod pulſus debilis interruptus & inæqualis manifeſtat. Produnt eandem Spirituum vitalium in ſangvine elaborationem & hoſpitationẽ Obſervationes quam plurimæ in Brutis & Hominibus factæ, qui, exſecto licet corde & corpore ejecto, per modicum temporis ſpatium functiones ſuas obire potuerunt, Sangvine vero immoderatius emiſſo, Subitò vivere deſierunt vid. *Joſeph. Acoſta. lib. V. Hiſt. Nat. Judic. Verulam Hiſt. Vit. & Mort.* aliiq;. Accedit quod in corde nihil obſervetur peculiare (fermentum enim ſingulare ad Sangvinis elaborationem faciens quæſiverunt alii, at non demonſtrarunt) quod non in ipſo ſangvine reperiatur, & ex quo prærogativa quædam cordi ſuccreſcere poſſet. Addimus his ſuffragium codicis Sacræ, omnis Carnis animam, (quæ nobis Spiritus Vitales) in Sangvine collocantis Levit. XVII. nec non authoritates & experimenta virorum Experientiſſ. *Harveji* Exerc. de *G. A. & Cir. Sang. Reekii de motu cordis, Jacob. D. Back Diſſ. d. Cord, C. X. & S. III. c. III. Magnif. D. D. Schneid. Lib. III. de catharr. c. 1.*

§. 5. Eo ipſo tamen nolumus derogare quid eminentiæ nobiliſſimæ humani corporis parti, præter veritatem ſaltem nihil eidem tribuere licet. Manet diſpenſator omnis ſangvinei liquoris, cum in ejus ventriculis, ut flumina in mari, con-

fluat

fluat omnis ſangvis, ex iisdemq; iterum in totum corpus diſtribuatur. Sangvinis autem & S. V. elaboratio ſ. hæmatoſis ipſi Sangvini relinquitur.

§. 6. Quemadmodum nunc patet ex dictis Sangvinis & Sp. Vit. elaborationem Cordi nullo nullo jure tribuendam eſſe, ita & clarum eſt, & ex mox dicendis reddetur manifeſtius, minus recte COR ſtatui P. M. ſubjectum primarium, de Maſſa autem Sangvineâ omnino id affirmandum eſſe. Notamus verò diſtinctionis gratiâ, ſubjectum P. aliud eſſe quo ſ. Partiale, aliud quod ſ. totale. Subjectum quo ſ. in quo, radicale & primarium ſæpius nominata M. S. audit, in hanc venenoſum miasma immiſſum variis modis Spiritus animales invadit, eosdem turbat, ac inde actionum vitalium læſionem eximiam inducit, donec plane exturbati, mortem acceleret præſentem.

§. 7. Hanc autem radicalem & primariam P. M. ſedem ſi determinare recte volumus, paulo intimius liquoris Sangvinei naturam inſpiciamus, neceſſe eſt. Conſiderabimus autem eum non ut extravaſatum & inutilem, tum enim rectius cruor quam Sangvis audit, ſed venis & arteriis contentum ac vividum. Hunc ſi reſolvimus & ſeparamus, obſervabimus (1) Liquorem fluidum ac tenuem, ex particulis humidioribus chyli, pro communi quodam vehiculo, paratum & confectum. (2) Particulas alcalinas volatiles, ex volatilioribus ſucci nutritii partibus evectas, motuiq; circulari dicatas (3) Partes quasdam acidas, ad conſiſtentiam Sangvini conſervandam, & amica pugna volatiliores particulas detinendas, elaboratas. (Ex harum alcalinarum & acidarum partium miſtione & mutuo motu, quomodo color reſultet intensè rubicundus ſ. ſangvineus ap. *D. de Beck. Experim. circa Rer. N. Principia p. 44.* ſeq. legi poteſt.)

§. 8. Hæc ut ad materiam ſubſtratam applicemus dicimus, nunc particulas volatiliores alcalinas, nunc acidas occupari à ſeminariis Peſtis, & ſubjectum ejus fieri cauſale & primarium

rium idq; pro ratione Venenoſæ Tincturæ; Hæc ſi volatilis & ſalſa acidum deſtruit conveniens, conſiſtentiam ſangvinis reſolvit juſtam, & impetuoſo motu vitam cum S. V. diſcutit. Contra ſi acida & figens, ſpiritibus Volatilioribus compedes qvaſi imponit, motionem impedit, ſangvinem coagulat, & S. V. tandem ſuffocat. Cui noſtro aſſerto omnino conveniunt, qvæ *Job. Valent. Willis* Tr. d. *Morb. Caſtr. Cap.* III. de Peſtis natura, ſcribit. *Conſiſtit corruptio* Peſtilentialis *tum in humorum repentina putrilaginoſa reſolutione, qvando Spiritibus acidiuſculis vappa, ſalſis ferocia, Salibus degener ſubſtantiæ modus Volatilibus, fixis volatiliſatio, aut angulorum obtuſio, Oleo ramorum imminutio & tenuitas nimis Spirituoſa, aqvæ poris dilatatio, peregrinaq; continenda varii generis inducuntur, unde ſoluta humorum compage, vinculis diſcordibus temerè illi fluitant; Tum in ſubitanea eorundem coagulatione, cum acidis p. n. incrementum, decrementum ſalſis, penuria volatilibus, fixis & Craſſis ubertas, Sulphuri pix aut colophonia, phlegmati acida craſſities, glacies, fluidis ſtagnatio, terræ tenacitas nimis argillacea adaugetur, qvare denſantibus ſe fibris, nimio glomeramine humores ſtringuntur, ferali putredine reſolvendi. Indeq; in caloris naturalis deſtructione ſubitanea, qvando vel illius cauſæ excitanter minuuntur, qvod fit per Spirituum abſumptionem & fixationem, ſalſorum contrariorum corruptionem, Inſtrumentorum generationis & motus intemperiem malignam, vel ſubjectum ſuſcipiens inhabile redditur, dum oleoſa legitimæ ſubſtantiæ, qvantitatis, qvalitatum & modi faciunt jacturam, ſive corrupta in ſe, ſive contrariorum vi oppreſſa, dum ſpirituoſa malignis Intemperiebus ſe ſub miſere, vel paucitate peccant.*

§. 9. De cætero manet totus homo, & proinde non tantum corpus ſed etiam anima, ſubjectum peſtis, *Qvod, totale & adæqvatum*, ob læſionem non ſolum Facultatum naturalis, vitalis & Animalis, ſed qvoq; & non raro rationalis depravationem aut abolitionem totalem. De Corpore res clara

 eſt.

eſt: Evincunt enim veritatem hujus poſitionis, ſingula Corporis partes male affectæ & præternaturaliter conſtitutæ, ſiqvidem (1.) Sangvinis δυσκρασία & intemperies præternaturalis, qvô nunc effervescens reſolvitur, nunc fixus coagulatur, eamqve inſecutæ pulſus mutationes, indicio ſunt P. Miasm. in M. S. hoſpitare & has nocuas alterationes, cauſari (2.) Cordis Anguſtiæ, anxietates, palpitationes, Lipothymiæ & Syncopes, inſigniter cordis muſculoſam carnem & ventriculos nunc rodi, nunc vellicari, nunc extendi, nunc adſtringi præter natur. teſtantur. Qvemadmodum itidem (3.) Reſpirationis difficultas & Sangvinis exſcreatio, pulmonum lobos affectos eſſe produnt. Symptomata autem varia læſæ Facultatis naturalis, utp. nauſea, vomitus, cardialgia, ſitis, Apepſia, phradipepſia dyſorexia & Anorexia &c. Teſtes ſunt P. M. (4.) Ventriculum eiqve affinia membra ingreſſum eſſe, & nunc motu inordinato, nunc vellicatione acri, nunc deſtructione aut depravatione doni neceſſariii, hæc & ſimilia producere. Sic porro (5.) Diſtenſiones, obſtructiones, punctiones & dolores, colicis & Hyſtericis non abſimiles, fluxus itidem alvi varii, glutinoſi, crocei, albi, fætentes &c. vaſa meſeraica & inteſtina reliqva huic malo ſubjecta eſſe non obſcure indicant. Ex tumoribus v. generis varii, Aphtis Bubonibus & Carbunculis circa inguina, ſub axillis poſt aures in collo &c. aperte conſpicitur P. M. (6.) Lymphæ locisqve glanduloſis ſe inſinuaſſe & ſalutarem hunc liqvorem inſigniter depravaſſe. Eadem ratione qq. in reliqvis partibus depurationi Sangvinis dicatis Hepate puta, Renibus & Liene, impediendo depravando & deſtruendo agit, ut neutra harum officio ſuo recte præeſſe poſſit, qvod ex variis & vitioſis M. S. conſtitutionibus manifeſte deprehendi poterit. Summa, nulla actionum Vital. & Natural. facultas, ejus præſentiæ expers, unde motuum natural. inverſio; Nunc enim incitat ad expellendum non expellenda, per Sudores nimios colliqvativos, hæmorrhagias ſuperfluas, fluxus

ſympto-

ſymptomaticos, nunc invitat ad retinendum non retinenda per alvi conſtipationem, pororum cutis occluſionem, criticorumqve evacuationum denegationem &c. &c.

§. 10. Nec in Facultatis Naturalis & Vitalis læſione ſubſiſtit, ſed & ad animalem pergit, & qvemadmodum ejus functiones nobiliores, ita & ſymptomata ex ejus læſione orta, graviora ſunt. Atomi enim Venenoſi ad caput elevati, membranasqve ejus tangentes, dolorem acredine ſua excitant acutiſſimum, delirii ſæpe non levis cauſam, S. a. A. turbatione & agitatione, qvietem & ſomnum abigunt omnem vigiliasqve inducunt pertinaces. Iidem genus nervoſum gravantes aut vellicantes motus inordinatos convulſivos & Epilepticos. Circa principium & ortum v. nervorum confluentes, eosqve aut deprimentes aut obſtruentes, ſenſus & motus ceſſationem uno verbo apolexiam inferunt funeſtam.

§. 11. Imo nec animæ ipſæ parcere, documento eſt facultatis rationatricis læſio, depravatio aut totalis etiam abolitio, qvas animæ alterationes, hîc per συμπαθείαν & ex mutua eaqve arctiſſimâ ejus cum corpore conſpiratione & conjunctione, qva anima corporis mutationibus inſignioribus ſubjecta qq. eſt, oriri, veritati maxime conſentaneum eſt. Ut ita jure nos aſſeruiſſe videas, totum hominem, omnesqve ejus actiones, Naturalem, Vitalem, Animalem & Rationalem à Tyrannide hujus Morbi occupari, cunctasqve corporis humani partes ejus atrocitati eſſe ſubjectas. Primario tamen eam, qvæ Vitali inſervit, Maſſam puta Sangvineam.

CAP. III.

DE CAUSIS PROXIMA & REMOTIORIBUS.

§. 1. Allatis iis, qvæ de Definitione & Subjecto monere voluimus, nunc inſtituti noſtri ratio nos defert ad cauſas,

qvas in Proximam & Remotiores diſpeſcuiſſe nobis ſufficiet. De illa plurimi Medicorum maluerunt tacere qvam certi qvid proferre. Qvi tamen in ejus ſcrutinio deſudarunt, horum alii dixerunt eam *Spiritum Sylveſtrem fermento mumiali tinctum.* Qvæ verba tenebras cimmerias inferre Obſcuro qvis non videt? explicatur enim incertum per incertius, occultum per abſtruſiſſimum. Qvis enim Spiritus Sylveſtris? Qvæ Tinctura mumialis? Utraqve petunt principium, unde à prolixiori ejus confutatione deſiſtimus. Alii venenum aliqvod externum eſſe aſſerunt, qvi ſi naturam ejus determinaſſent & modum agendi ſimul junxiſſent, habuiſſent qvod gloriarentur, nunc incertitudo eadem remanet. Alii ad putredinem confugientes, ei venenati morbi originem tribuerunt. Alii putredine occultius qvid accuſarunt. Utriqve minus rectè noſtro judicio; Primo enim putredo, peſtilentialis miaſmatis effectus verius qvam cauſa audit, producitur enim & generatur in corporibus etiam maximè ſanis eadem, unde qvæ tam velociſſimæ imò momentaneæ fere putrefactionis cauſa, determinandum eſſet; Aut ſi pro cauſſa accipienda, qvi ex putridine illa reſultantes Spiritus, qvænam eorum juxta qvalitates primas & ſecundas, potentiæ, & qvæ exinde elicienda operatio explicandum foret. Deinde non in omni Peſte putredo deprehenditur conſpicua nec neceſſaria itidem, cum idem malignus effectus ea abſente, produci poſſe ex inferius dicendis conſtabit. De eo autem, qvod putredine occultius ſit, ſat erit dixiſſe rationem ab occulti titulo abhorrere vid. ſupr. Cap. I. §. 4. *Athanaſii Kircheri Opinionem*, qvâ Peſtilens Seminium ad animantium claſſem transfertur, curioſam magis qvam veram æſtimamus, aut minimum non univerſalem, interim multis lucem non parcam offerre, non negamus. Ingenioſisſimus *Johann Baptiſta ab Helmont.* Sermone ænigmatico ſuas de cauſa Peſtis Sententias involvit, unde mens ejus non æqve rectè percipitur ſemper, qvæ tan-

dem

dem ſana opinio, *ex malignitate externa, in gas fracido excepta, & ab Archeo terrefacto triſti imagine concepta,* erui poſſit, iis, qvibus majores ſunt ingenii vires, ad conſiderandum relinqvimus. *Vid. Ej. Tract. Tumul. Peſt. p.m. 160. ſeqq.* Cæteri miſſis qvibusvis rationibus naturalibus, in ſupranaturalibus tantum acqvieverunt. Unde *Franc. Joël. Op. Tom. V. S. III. p. 44. Certiores*, inqvit, *venenatæ Peſtis cauſas è Moyſe & Prophetarum Scriptis haurire poſſumus.* Προηγȣμένας *qvidem eſſe flagitia & enormia peccata hominum.* Προκαταρκτικὰν *autem iidem docent eſſe Deum ipſum iraſcentem peccatis & ſpargentem ſeminaria Peſtis in aërem, qvibus flagitia puniuntur non multum habita ratione corporis, utrum ſint pura vel impura, nec ætatis aut ſexus.* Qvæ ratio eſt, qvod in deſcribenda Peſte, Definitionem, Theologo qvam Medico convenientiorem, laudatus Autor, attulerit. Nimirum *Peſtilentiam, ſive Peſtilentem febrem eſſe pœnam divinam, ulciſcentem enormia ſcelera hominum per venenata ſeminaria Peſtis in aërem à Deo ſparſa, ac deinde per Contagionem in multos propagata.* Motus autoritate *Hippocratis* qvi *in Peſte divini qvid ſubeſſe* dicit; Nec non *Galeni*, qvi eqvidem Seminariorum Peſtis in aëre contentorum meminit, naturam verò eorum non explicat. *Lib. I. Cap. IV. de Febr. Differ.* Unde ad ſupernaturalem reſpexiſſe judicant nonnulli.

§. 2. Ut ut itaqve concedendum & ingenuè fatendum, mala epidemia qvævis, peccata tanqvam effectus ſuam cauſam ſeqvi: Deiqve nutu Creaturas cunctas conſpirare ad interitum ſceleratorum hominum. (Qvod nemo niſi profaniſſimæ vitæ homo facile negabit, præcipue cum ſacræ literæ abundent minis multorum malorum, ſpeciatim venenatarum Peſtilentiarum Levit. C. XXVI. qvibus vindicta de peccaminoſis hominum actionibus ſumenda.) Cauſarum tamen ſecundarum concurſu, ut plur. utitur Manus divina, cum hæ tanqvam naturales non repugnent ſupra naturali, ſed ſimul

 ſtare

ſtare poſſint. Unde non videmus cur in enumerandis cauſis, naturales plane negligere & in ſupra naturalibus tàm ſubſiſtere debeamus. Utrasqve conjungimus cum dicimus: Produci ad Dei voluntatem & extrahi ex intimis terræ penetralibus ad ejus ſuperficiem & aëris regionem, atomos qvalitate exceſſiva peccantes, fætentes, putridos, tenebricoſos, uno verbo venenatos, acui variis cœli influxibus, maturari & volatiliſari radiorum ſolarium penetratione, multiplicari & ſubſiſtere per defectum rerum ad puritatem aëris facientium, & maturitatem adeptos, ingentem hominibus cladem inducere. Qvibus parcere benigna Dei manus cupit, peculiari Dei providentia intacti ſervantur, aut virus peſtilens juſta medicicina ſuperatur ac vincitur; Reliqvi communi ſtrage pereunt, retracta etiam à Medicamentorum virtute & facultate, benedictrice Ope divina.

§. 3. Sed miſſo ulteriore opinionum examine, ad determinandam Cauſam Peſtilentiæ Efficientem proximam progredimur. Tetigimus eam in Deſcriptione Peſtis, cum *Intemperiei totius M. S. inſigni & malignæ ortum ejus adſcripſimus*, qvam nunc prolixius aliqvanto diducere officii ratio dictitat. Qvo jure Affectus noſter ad claſſem Morborum Intemperiei translatus ſit, tribus verbis *Capit. ſuper. I.* §. *4.* monuimus, eaſdem Intemperies pro cauſa proxima & immediata agnoſcere, nunc animus eſt. Deprehenditur autem in omni Peſte Intemperies aut calida, aut frigida, utraqve inſignis, qva maſſæ ſangvineæ temperamentum conveniens alteratur ad conſtitutionem præter naturalem. Et notatu dignum eſt (maxime in Therapia) unum idemqve morbum diverſæ qvalitatis exiſtere, & à plane contrariis cauſis excitari; ſicuti enim certum, contineri in corpore & calidum & frigidum & humidum & ſiccum, qvæ juxta proportionem mixta, temperaturam partibus addunt convenientem; ita experientiâ probatum, aliqvando frigidum neceſſarium ſive humidum radi-

cale,

cale, conſumi per caliditatem exſiccantem, aliqvando calidum utile ſive Innatum ſuperari â frigiditate inundante & ſuffocante qvaſi flammulam Vitæ jucundiſſimam. Uterqve modus in Peſte deprehenditur exceſſivus & funeſtus. Qvam noſtram aſſertionem non evertunt opiniones aliorum, aſſerentium; majorem & inſigniorem ſæpius intemperiem offendi in aliis morbis v. g. cauſo ſive Ardente febre, nec tantam violentiam in effectu exeri; Cum ex ſenſu manifeſto Caloris & frigoris non ſit judicandum ſemper de eorum penetrabilitate. Spir. 🜍eus flammam concipiens non eqvidem tantum de ſe ſpargit caloris ſenſum ac Culinaris noſter ignis, interim penetrantiorem & magis activum eum eſſe nemo negabit. Sic qvoqve △ Ƶ momentaneo caſu copioſos Vini Spir. deflagrando conſumit, Spiritibusqve deſtitutam vappam relinqvit, nec Caloris ſenſus ullus manifeſtus cognoſcitur. Sæpe velociſſimo etiam ictu, frigus Spiritibus animalibus contingere videmus pernicioſum, ſenſus & motus abolitione manifeſtatum, externâ tamen exploratione vix perceptibile: Certo documento, ex externo qvalitatis ſenſu non eſſe judicandum de ejus gradu, maxime in Lue Peſtilentiali, in qva malitioſe occultatas vires utplurimum deprehendimus, dum ex inſidiis aggreditur homines, tum maxime nocens cum amiciſſime blandiri videtur. Manet itaqve Peſtis, vera proxima & immediata Cauſa Intemperies M. S. cum ex hac, læſionem actionum & facultatum, primo & immediate ſeqvi videamus; Qvicqvid igitur aut morboſi aut Symptomatici in ea reperitur, id omne originem ſuam primam M. S. alterationi malignæ debere, fatebitur is, qvi in Symptomatum cauſas inqviſiverit accuratius, aut Sangvinei liqvoris officium conſideraverit penitius. Sufficiat in memoriam revocare, Sangvinem omnium partium fieri alimentum, cunctarumq; actionum medium, hoc proinde inſignius mutato & læſo, qvæ non partibus accidere poteſt mutatio, actionibus læſio? Anteqvam autem ulterius progredimur monitu

neceſſa-

neceſſarium arbitramur per malignitatis epitheton, qvod aliqvoties Intemperiei addidimus, nos non occulti qvid (qvod vocis vis alias infert) indigitare, ſed gradum excellentiæ ſaltem indicare; Eſſe nempe Intemperiem eam excellentem, penetrabilem ac maxime activam, omninò ad modum ſiderantis ignis tonitrualis, aut figentis frigoris apoplectici, qvâ dicto citius effectus producitur lugubris.

§. 4. Aſt cum certum ſit qvalitates caliditatis aut frigiditatis, humiditatis aut ſiccitatis, primas qvidem eſſe in cognitione, ultimas verò in actione; Et dependere à ſecundis & tertiis, ut effectus â ſua cauſa. Recte nos ea in re Informante *Oraculo Coo. Lib. de priſc. Medic. Non enim ſiccum neq; humidum, neq; calidum, neq; frigidum, neq; aliud qvicqvam ex his, putaverunt (primi Inventores) hominem lædere, neq; aliqvo horum homini opus eſſe opinati ſunt, ſed qvod in unoqvoq; forte & humanâ naturâ eſt potentius, qvodq; non poſſit ſuperari, hoc ipſum lædere duxerunt, & hoc auferre qvæſiverunt. Fortiſſimum eſt inter dulcia dulciſſimum, inter amara amariſſimum, inter acida acidiſſimum, & in omnibus adeo rebus Vigor ipſe ac ſummum. Hæc enim in homine eſſe viderunt, & hominem lædere, &c.* Et alio loco. *Neq; propter calidum ſimpliciter homines febricitant, ſed eſt amarum & calidum idem, & calidum & acidum & ſalſum & calidum & alia infinita, & rurſus frigidum cum aliis facultatibus conjunctum. Hoc itaqve ſunt qvæ lædunt:* Merito proinde in harum intemperierum inqvirimus originem primam, qvam Veneno alicui externo, *propriisſimo ſenſu*, ſumpto adſcribere, & cauſam mediatam proximam nuncupare licebit. Non attenta contradictione *Philipp. Scherbii de Peſtil. Theſ. 28. ita differentis. Per ſe & proprie ſumptum (ut Medici in ſuis Scholis accurate inter pernicioſum, malignum peſtilens & venenatum diſtingunt) ſine ulla dubitatione negamus & pernegamus in Peſte eſſe Venenum.* Qvod nos iterum atqve iterum affirmamus. Non dubitantes

bitantes venenum proprie dictum appellare omne id, qvod in exigua doſi aſſumptum corpus aliqvod, licet non omne per ſe alterare poteſt ad deterius. Qvas Veneni proprietates, Peſtilentiali Miaſmati competere veritate verius eſt (1.) Enim Status naturalis mutationem imo inverſionem & deſtructionem, id cauſari, triſti Spectaculo, innumeri decumbentes probarunt; Qvam (2.) per ſe fieri concedet, qvi conſideraverit, reſtitutionem ac reconvaleſcentiam ob ejus potentiam qvâ naturæ vires ſuperat, non niſi peraccidens contingere, ſecus ac in multis affectibus aliis. Atq; hanc ſuam ad deterius alterandi facultatem (3.) in multis licet non omnibus ſubjectis probaſſe, ſat erit, cum nec in cunctis Speciebus & Individuis, venena, omnium conſenſu propriè dicta, id præſtent. Viperas enim Bufones aliaqve inſecta venenoſa, ciconiis cedere in alimentum, â qvorum comeſtione homines aliaqve animantia mortem inevitabilem ſibi accelerant, nulli non notum. Aranearum etiam paſtum, hominibus lugubrem, pullis & gallinis innocuum evadere, qvotidie videmus. Et ne diverſitas inter bruta & homines hîc ſcrupulum movere poſſit, eandem in hominum Individuis offendere licet. Napelli ſiqvidem (decantatæ malignitatis herbæ) flores à Polonis absq; noxa in acetariis comeduntur, cum ejus attactus, aliis periculoſus ſatis, imo non rarò funeſtus eſſe ſoleat. *Teſte D. Friderico Hoffmann. Clav. Pharmac. Lib. I. p. 24. & L. V. p. 664.* Certo teſtimonio, venena, ſuas, non in omni ſubjecto æqvaliter explicare poſſe vires, ſed nunc, pro virtutum qvalitate obtinere effectum ex iisdem ſeqventem per ſe, alterationem nempe ad deterius, nunc defraudari potentiâ & qvandoqve cedere in alimentum, mutareqve in melius, aſt hoc per accidens. In exigua autem imò minima portione res venenata ſuam ut demonſtret malignitatem, de proprietate veneni eſſe monuimus, (cum alias ſaluberrima qvæq; & per ſe plane innoxia, ultra modum vero ingeſta, vergant in naturæ ruinam, eiqve

eva-

evadant Venena.) Qvam (4.) in P. M. operatione imprimis conſpicere licet; Niſi enim Fides hiſtorica confirmaret, vix nobis perſvadere poſſemus, modicæ longitudinis funem ſeu chordam, per aliqvot tempus in loco remoto abſconditum, tantam vim toxici concipere potuiſſe, ut id ſufficiens fuerit univerſæ provinciæ auram tingere, & maligna qvalitate imbuere, indeqve tot millium hominum necem promovere: qvalis tamen Mediolanenſis P. extitit cauſa, ſecundum relationem *Athanaſ. Kirch. Scrut. P. C. IX, S. I. p. m. 104.* Aut qvis crederet, exiguæ cavitatis ciſtam in Babylonia apertam, tantam farraginem perniciosarum atomorum expiraſſe, ut inde Peſtis ad Parthos uſque penetrans, excitata fuerit. Notante *Julio Capitolino* in *Vero*, & *Cardano.* Solam, cum ſummitatibus digitorum, Epiſtolæ, in loco infecto conſcriptæ tractationem, contagium ſano contrahere potuiſſe, *obſervante Helmontio*, admiratione dignum eſt. Qvæ & ſimilia exempla, Seminii Peſtilentialis principium ac ortum eqvidem ſpernendum & exiguum, facultatem vero & potentiam arguunt æſtimandam & ingentem; Claro ſane indicio, veriſſimè locutum eſſe *Philoſophum 5. de generat. Animal. C. VII. Principia qvamvis parva magnitudine, potentia tanquàm & virtute eſſe magna.*

§. 5. Sed hæc generalius & prolixius, qvam par fuit. Redimus rurſus ad inſtitutum, Cauſam nempe P. proximam mediatam, qvam *Venenum* aliqvod nuncupavimus, notanter addito epitheto *Externi;* An enim in Corpore humano, ſub regimine caloris vitalis, nullo accedente externo, corruptio aliqva naſci poſſit adeo vehemens, ut Veneni tum qvalitatem tum vires æqvet, dubitandum ſane ſi non abſolute negandum; Licet in affirmativam ſententiam inclinet *Galen. Lib. VI. d. Loc. affect. C. 5.* Conf. *Illuſt. D. Daniel. Sennert. Prax. Lib. VI. C. II.* Concedendum eqvidem & amplectendum avidiſſime, qvod de humorum in Corpore qvalitate, *Divinus Senex Lib. de*

priſc.

priſc. Medicin. ſcribit. *Ineſſe, nempe in homine & amarum & ſalſum & dulce & acidum & acerbum & fluidum & alia infinita, omnigenas facultates habentia & copiam & robur.* Nec negandum, has facultates, variis imo infinitis pene modis miſceri, (80084. miſturas & Syzygias poſſibiles notavit *Sanctor. Sanctor. Method. vitand. error L. VII. C. IX.*) & ita ad infinitas potentias & effectus incomprehenſibiles aptificari poſſe; Aſt ſemper externum aliqvod alterans, & mutationi occaſionem dans, reqviri, nobiscum fatebuntur, qvi ſecum penſitaverint, omnes in corpore exiſtentes qvalitates ſimplices, primas, ſecundas & tertias, ita eſſe comparatas & proportionatas, ut unum temperamentum mixtum conſtituant, idq; conſervare poſſint vigoroſum & illæſum, niſi externa accidentia, ex rebus ſex nonnaturalibus, poſt univerſalem Macrocoſmi maledictionem, promanantia, alterationi ejus anſam darent, & corruptionis cauſa exiſterent.

§. 6. Qvamvis proinde evidens ſit, externum aliquod venenum exiſtere cauſam tam malignæ Intemperiei M. S. Supereſt tamen adhuc præcipuum, evolutio nempe qvalitatis illius venenoſæ, qvâ tot mirabiles effectus producere potens eſt. Plurimi hanc facultatem dixerunt occultam, quam cum ſemel eliminavimus, iterum ab orco revocare non decet. Manifeſta proinde virtute P. virus agere nullus dubitabo, naturam autem ejus certò determinare vix audeo. Licitum tanqvam erit dicere, quæ ratio & experientia abunde confirmant. Seqvente de *Different. Cap.* notabimus diſtinctionem, quâ Peſtis diſpeſcetur in Reſolutoriam & Coagulatoriam, petitam ab ejus effectu, nunc M. S. reſolvente nunc coagulante, probatamqve plurimorum Medicorum Neotericorum autoritate. Ex hoc Peſtis effectu non ſine ratione concludimus, naturam Peſtilentialis M. convenire nonnunquam cum iis, quæ per ſpagyricam artem inveniuntur ſangvinem rarefacientia & reſolventia potentiſſime, nonnunquam imitari qvalitatem eo-

 rum

rum, quæ eundem fundunt & coagulant fortiſſimè. Illius virtutis ſunt omnia *alcalia volatilia*, præprimis acria: Hanc facultatem obtinent *acida* quæcunque & *auſtera;* Experientia evidentiſſimum hac in re teſtimonium præbente; Sangvis enim vena aut arteria emiſſus, ſtatim coagulationem acquirit & conſiſtentiam ad galredæ formam induit, ob defectum ⊖lis volatilis lixivioſi, ſerum diluentis, in emiſſione autem ſtatim avolantis, unde acidum relictum & nullo contrario temperatum, ſua adſtringendi vi atomos cruoris condenſat, & fluore ſangvinem exuit. Cum plane contrario modo ⊖ volatile alkali, conſiſtentiam ejus impediat, & ſangvineum liquorem præter fas reddat tenuem. Id Obſervant. *De le Boe-Sylv. Prax. Medic. p. m. 626.*

§. 7. Dicimus itaqve diſtinctim, Peſtilentialis Seminii ſicut & omnium reliqvorum venenorum eſſentiam, nunc conſiſtere in alkali, nunc in acido. Seu quod idem. Quoad qualitatem primam, nunc excedere in caliditatis gradu, nunc peccare in frigoris exceſſu, qvoad ſecundas & tertias nunc agere amaritie, acredine & ſalſedine, nunc rodere aciditate, auſteritate & acerbitate, nunc reſolvere ac rarefacere inſigniter, nunc adſtringere & coagulare eximiè. Unde duplex Peſtis Species, duplex itidem Peſtis facies & duplex proinde curandi ratio. Hæc ut manifeſtiora fiant, ex variorum Venenorum, triplici Regno, Minerali, Vegetabili & Animali, contentorum naturâ, Symptomatum, Peſtem comitantium, qualitate, & Juvantium ac nocentium virtute, pluribus nunc exponemus.

§. 8. Erit ergo hoc noſtrum propoſitum, ut, quicquid venenoſi, in trium regnorum territoriis offendatur, ratione virtutis, ad unam harum modo enumeratarum qvalitatum, reducamus; Quod ut pro Intentione obtineamus, Regnum Minerale inſpiciemus primo. Alet id diverſa, diverſæ poteſtatis ac efficaciæ toxicæ, ex quibus unum aut alterum conſiderationi ſubjiciemus (1.) ☿ium quamvis à nonnullis venenorum

numero

numero eximatur, meritò tamen iis annumerandum eſſe videtur, ob vires & effectus valdè periculoſos & malignos: Siquidem *Gemma Cyclognomicæ Lib. II.* Ultra octoginta perſonas malignitate ejus pereuntes notavit. Interius enim aſſumptum ad virium prolapſum uſque & graviſſimorum affectuum acceſſum, purgat. Exterius per fumum attractus ejus vapor, Paralyſin, Epilepſiam, ſuffocationem, affectus ſoporoſos, &c. cauſantur; manifeſto indicio, *penetrantis acidi*, quod in ſe continet & virtute cujus effectus hos edit malignos, Illud enim contraria qualitate adverſatur generi nervoſo Spiritibusque animalibus, cum hi ut ſupra notavimus ſint maxime activi & ad alkalinorum naturam inclinent, quam activitatem figendo impedit, aut inordinate movendo turbat, donec plane diſturbet. Quod noſtrum aſſertum evadit clarius, cum ad remedia malignitati ♉iali oppoſita, judicium applicabimus. Conſiſtunt potiſſ. in Spirituum Vitalium & Animalium corroboratione & volatiliſatione, quod aromatica quævis (ob ⊖lis Volatil. copiam) efficiunt feliciter; dein acidi abſorptione & Sangvinis reſolutione, quod Bolus Armena, C.C. præpar. Magiſt. ejuſdem, Ocul. ♋. Zedoar, Scordium Theriac. ⊖ia vol. ✳. Urin. C.C. &c. præſtant ſufficienter. Ejuſdem quoque naturæ eſt (2.) Hydrargyrum ſive ☿rius, niſi qvod gradu differat, maligni oremq; ſe exhibeat, qvod Symptomata ejus opera producta probant: Siquidem dolores Inteſtinorum corroſivâ ſuâ vi, maxime ſenſibiles generat, alvi fluxus, facultatem Expultricem continua vellicatione irritando, producit. Corporis Intumeſcentiam, fermentatione infelici, promovet, fædi ſæpe halitꝰ ex corpore, putredinem humoribus inducendo, cauſa exiſtit, &c. quæ & ſimilia de acido peccante teſtari, citra dubium eſt. Unde quoque in reſiſtendo ☿li veneno, ad acidum ſemper reflectitur. Lac enim & reliquæ Emulſ. ſem. frig. (in affectu ab hoc veneno excitato uſuales) vias Inteſtinorum eluunt, lubricas reddunt & ita corro-

 ſionem

ſionem impediunt, imò acidum corrodens leniter abſorbendo l. demulcendo, infringunt & vi corroſiva exuunt. Idem alkalia fixa prius adducta præſtant apertius, unde & hic quoque adhibenda cum fructu. In Limatura autem ſive foliis ☉lis quæ huic veneno, tanquam ſpecificum opponuntur à nonnullis, ratio eſt ☿ius concentratiſſimus in ☉le latens, quem ob ſimilium amicam aſſociationem, ☿ius in corpore p. nat. exiſtens, amplectitur avidiſſime, & cum eo proinde via ordinaria corpore excernitur. Adde quod à ☿io in ☉le correcto & corroſiva acidititatis vi, privato, immutetur & dulcoretur idem; Non ſecus ac raſuræ & particulæ ♄i 🜊to inditæ, dulcoris ſaporem eidem, immutando & abſorbendo, acquirunt, Et Ulceribus, pure corrodonte (ſive acido corroſivo) exeſis, Laminæ ♄ninæ, ob eandem rationem nullo non tempore à Chirurgis cum fructu applicantur. Alia autem plane ratio eſt (3.) Arſenici Mineralium venenorum non poſtremi. Hoc licet crudo, *Mirepſius* in Antidoto perſica fuerit uſus, *Avicenna* quoque internè adhibuerit, à *Galeno etiam* & *Quercetano* in nonnullis affectibus præſcriptum inveniatur: Notante *Frider. Hoffm. Clav. Pharm. Schr. p. 366.* ab eo tamen ut abſtineamus, cogit malignitas, ut pote graviſſimorum Symptomatum autor. Vomitum enim cum ſiti in extingvibili, lingvæ ariditate, difficultate reſpirandi, tuſſi ſingultu, &c. excitat, nonnunqvam Dyſenteriam malignam inducere ſolet. Obſervante *Foreſto Lib. XXX. Obſ. 8.* in famula qvadam per inſcitiam Arſenicum loco Sacchari deglutiente. Nec non *B. D. Senn. Prax. Lib. VI. part. VI. c. VIII.* in duobus liberis, qvibus Mater loco C.C. præpar. Arſenici portionem cum Sirup. Fumar. ad ſudandum expenderat. Hæc autem Symptomata à ⊖lis volatil. acrioris ſive lixivioſi facultate oriri, nemo facile negabit, niſi alkalinorum, Volatilium præprimis, naturæ & effectus planè ignarus. Quod medendi ratio confirmat uberius, Adhibentur enim inter alia pingvia, ut butyracea oleoſa & di-

luentia

luentia ▽ea, qvæ uti univerſale qvaſi venenorum hauſtorum temperativum ſunt; ita hic maxime proſunt: Hinc de muribus notiſſimum eſt, ſi arſenicum comederint, modo ▽m deſuper bibant, eos evadere, dum non ſolum viſcera reddunt lubrica, & ita punctivas ⊖lis volatil. acrioris particulas obtundunt diluunt & hebetant, ſed inſuper pollent inſigni acido, acri tota Subſtantia contrario. Contraria autem contrariis removeri inter primas Therapiæ Regulas docetur.

§. 9. Nunc Regnum Vegetabile ingrediamur qvoqve, & qvemadmodum ſub ejus regimine ſatis multa, plantas herbas, radices, flores & fructus, maligna vi imbuta, deprehendimus (Clari enim ſunt malignitatis fama *fungi varii generis, Napellum, cicuta, Ephemerum Cholchicum, Hyoſcyamus, Solani, Mandragora, Toxicum, Herba Sardonia, Opium, &c. &c.*) Ita omnes & ſingulos, aut aciditate nocuâ, aut ſalſedine adverſâ, agere experiemur, cum unius aut alterius naturam & per Symptomata effectum aſpexerimus. (1.) Cicuta cujus radix & folia, ſub ſpecie petroſelini ſæpius ſeducunt ignorantes, venenoſam ſuam malignitatem probat per vertiginem, amentiam & furorem, Corporis intumefactionem, reſpirationis difficultatem, ſtuporem &c. Cujus exemplum refert. *Kirch. tr. Scr. P.* in duobus Religioſis, qvi avidius comeſtis Cicutæ radicibus, qvas pro Petroſelini obtulerat Coqvus, confeſtim mente capti, in Anſeres & Anates ſe transformatos putantes, in vicinum lacum præcipitarunt. Sic qvoq; Socrates Philoſophus, qvi eodem toxico mortem accelerare coactus, ſupra numeratos affectus expertus eſt ejus nuncios: haud obſcuro indicio, ⊖ aliqvod volatile acrius adeſſe præſens, volatilitate ſua Spir. animales in præternaturalem motum deducens & furioſe movens, ex qva inordinata & furioſa motione amentiam & furorem, indeqve facultatis rationatricis depravationem aut abolitionem ſeqvi, probabile eſt. Eandem qvoqve violentam circulationem Spir, vitales diſcutere & expellere, cum maximo virium prolapſu,

lapſu, comite lypothymiâ & ſyncope, dubium non eſt. Per mutuum verò particularum volatilium cum acidis M. S. motum, oriri efferveſcentiam & fermentationem, qvæ intumeſcentiæ Corporis cauſa exiſtit propria, hançqve, fugatis Spir. vitalibus & animalibus, ſtuporem inſeqvi, quid rationi conformius eſſe poſſet? Aliqvanto benigniorem ſe exhibet (2.) Hyoſcyamus, notæ aliàs malignitatis herba, cum mentis turbationem & alienationem producat gravem, ut ab hauſtu ej9 inſtar ebriati rixentur, ſtulta agant & proferant, pruritum qvoq; inſignem ſentiant, nec minorem memoriæ labilitatem. Unde Mulieres Indicæ Provinciæ Goæ, cum Herba *Nacazcul ſive Toloat Zin* (qvæ Spccies eſt Hyoſcyami) maritos ſuos egregiè decipere ſolent; Offerunt enim iis in Cibo aut potu ſemen herbæ prædictæ, qvo aſſumpto, omnium factorum fiunt ignariſſimi. Proinde Mulieres mæchos ſuos in conſpectu Maritorum adhibent & ad Satietatem usque liberè ♀i indulgent, ſpectantibus equidem aſt nihil obſervantibus iisdem. Cumque deſiderio ſatisfactum, lotione pedum frigida aut forti frictione, qvaſi ebrietate liberi expergefiunt, neſcii qua ſorte in numerum cornutorum exaltati fuerint. Vid. *Mandeslaus Itiner. Indic.* Sin autem in facultatem, qvâ hos effectus producere potens eſt, inqviſiverimus, manifeſto acido fieri, experiemur. Quemadmodum enim ex largiori potu vini aut cereviſiæ, acidum alterutrius cum Spir. animalibus (alkalinæ naturæ) efferveſcens ebrietatem cauſatur, quatenus ſcil. hæc duo contraria, reciproco motu in ſe ipſa agunt, pugnam quaſi attentantes; unde ordinarias functiones, prænominati Corporis Spir. deſerunt, aut minimum iiſdem non rite præſunt, viribus in debellando hoſte impenſis (qvod inordinatæ & præter morem ebrii actiones teſtantur) donec tandem inimico acido victo, Spir. rurſus circulenter nuturaliter, & ſvetis ſe iterum accingant officiis, hominemque priſtino ingenio & moribus denovo reſtituant: Ita & Symptomatum à ſupra memoratæ herbæ

Naca-

Nacazeal ſive hyoſogami malignitate productorum, cauſa qvoque acidum audit, ut ut aliquanto violentius & penetrabilius. Unde enim remedia ei oppoſita, ad acidum quoque ſubjugandum, reſpectum habere h. m. dicas, ut vel ſangvinis motus & efferveſcentia per frigidam lotionem inhibeatur & compeſcatur, vel acidum peccans, per poros cutis, forti frictione apertos, propellatur & ſic veneno homo liberetur. Licet uterque modus noſtro judicio inſufficiens ſit, & forſan à ſupra memorato Autore non æquè accuratè cura fuit obſervata. Omnia verò vegetabilium toxica malignitate facile ſuperat (3.) Napellus, quem Aconitum etiam dicunt alii, tantæ virulentiæ herba, ut etiam ſolo attactu externo virus ſuum altiſſime inſinuet, ac affectus graviſſimos excitet. Interius autem ad gr. j aſſumptum intra qvatuor horarum ſpacium mortem inferat præſentem: Teſte *D. Frid. Hoffm. ſæpius c. l. L. V. p. 664.* acido autem potentiſſimo hos ſuos effectus præſtare, & hoc unicum ſufficienter probat, qvod ſtercore humano, recenti aut arefacto in potu aſſumpto & nullo alio medicamento, (notante eodem Autore) feliciter expellatur. In hiſce enim excrementis, ⊖lis lixivioſi ſive alkaliſati, à bilis ſucco lixivioſo, provenientis (ab eo enim excrementa tincta eſſe color qvoqve prodit) copia latitat, qvæ ad deſtruendum acidum totâ ſubſtantiâ apta invenitur. De cæteris ex hiſce facile judicari poterit.

§. 10. Regnum Animale ſi examinaverimus porro non deerunt qvoqve in eo, qvæ malignitate ſua, homini noxam inferre & fatali Vitæ filo inſidiari poterunt. Quam mira autem & varia Symptomata, Venena ea pro Animantis cujusvis conſtitutione inferant, non ſine admiratione legimus & experimur. Minimam portionem Veneni Canis rabidi, morſu aut ſaliva corpori immiſſam, furorem, canis naturam æmulantem, cauſari videmus. Felis rabidæ Commeſtionem, comedentes ſibi furioſa ratione conformes reddere,

exemplum trium Helveticorum Juvenum cauponæ malevolentiâ ac fraude aſſatam & prius in rabiem actam felem devorantes, teſtatur, qvi itineri ſe iterum accingentes, omnes pari modo in rabiem acti Voces & geſtus imitarunt felinos, obviosque invaſerunt cunctos. Referente *Ath. Kircher. c. l. p. 206.* Tarantularum ictû percuſſi, inſatiabili ſaltandi deſiderio agitari (qui affectus Chorea ſive Viti appellatur) & Hiſtoria & exempla nobis offerunt. Duplici autem potiſſ. ratione hoc animale virus, in corpore vim ſuam exerere deprehenditur. Una qua venenoſum animalculum mediante tactu, ictu aut morſu virulentos ſuos Spiritus Sangvini intimius immittit ac communicat. Altera qua ejus Subſtantiæ pars aut excrementa, aut alia res quævis ejus veneni particeps facta prius, Ori ingeritur & in corpus invehitur. Utraque violenta ſatis nec minus periculoſa eſt. Si autem de hujusmodi veneni qualitate judicium ferri debeat, dicendum: priori modo communicati Veneni naturam, conſiſtere potius in volatili & maxime activo alkali, quod tum ejus agendi celeritas, tum Symptomatum affectiones probant. Jctus enim morſus aut alii ſenſibiles, venenatæ beſtiæ tactus, proveniunt utpl. ex affectu iraſcibili, qui vel ex innatâ ſe defendendi intentione (cum agitatur & affligitur,) vel ex peculiari nocendi ſtudio (cum libere agit) proficiſcitur. Utrobique ira Nocentem agit. Jam autem certum in affectu Iracundiæ, bilem tenere dominium, particulasqve ejus alcalinas utrobiq; in Sangvine præpollere, Spiritusq; Vitales etiam immutare ac inqvietos & furibundos qvaſi reddere. Unde ita conſtitutis Spir. facto ictu aut morſu, eædem bilis (ad modum acris & volatilis) particulæ inſinuantur corpori læſo, & ſimul cum iis furioſa agendi ratio transfertur; facta inſuper altiſſima ſæpius impreſſione Ideæ, naturæ & Indolis corporis illius à qvo egreſſæ ſunt primum. Unde præter malignam corporis infectionem & alterationem, tantum ſæpius de natura inficientis participant Spiritus, ut ejus

Indo-

Indolem, licet alias contrariam, æmuletur non rarò ex aſſe. Qvod ſuperius allata exempla illuſtrare poterunt. Sin verò per internam ingeſtionem maligna acqviſita fuerit qvalitas, eam nunc in alkalino, nunc in acido utroqve autem l. ſimplici l. acriori latitare poſſe, non ſine fundamento aſſerimus. Qvod per exempla nonnulla deducere vellemus niſi pagellarum harum anguſtiæ id inhiberent, noſtriqve inſtituti ratio denegaret; Cum ea non ſit de Venenis hîc ex profeſſo agere, ſed ſolum ex unius aut alterius veneni qvalitate, Peſtilentialis toxici naturam inveſtigare. Unde in his ſubſiſtimus. Remittentes B. L. *ad Ardoynum de Venenis, Grevinum, Matthiolum, D. Fr. Joël. Op. Med. Tom. V. L. II. Excell. D. D. Senn. Prax. L. VI. Marc. Aurel. Severin. Tract. de viperis* aliosqve ubi plenior & abundantior eâ de re cognitio.

§. II. Visâ itaqve Venenorum cunctorum & ſic Peſtis qvoque malignitate, in alkali aut acido nidificante; nunc ex eodem fundamento, Symptomatum Peſtem comitantium diducemus Originem. Sunt autem ea l. communia utrique Peſtis ſpeciei, l. Propria alterutri. Iſta ſunt *Lapſus Virium repentinus, Anxietas, Corporis laſſitudo, Aphtæ, Bubones, Carbunculi ſive Anthraces, Syncope* &c. Ubi verò Reſolutio M. S. per venenatum miaſma acciderit: Obſervatur *Febris cum interno æſtu & pulſu inæqvali, Lingvæ ſiccitas, ſitis vehementior, aſt à cibo abhorrentia. Capitis dolores punctorii, cum pervigiliis contumacibus, Sudores copioſiores. Facultatum Principalium aut abolitio, aut depravatio. Tuſſis itidem, ſingultus, Nauſea, Vomitus, fluxus alvi, hæmorrhagiæ Narium, menſium profluvium, cutis per maculas coloratio, anthraces freqventiores*, nonnunquam *Sangvinis motus* & *Sputum Cruentum*, &c. Quibus autem venenata contigerit Coagulatio, proditur ea per *Pulſum debilem inæqvalem etiam & parvum, horrorem & refrigerationem* præcipuè extremitatum artuum, *Capitis gravitatem, affectus ſoporoſos, Guſtus depravationem, Convulſiones,*

Cordis palpitationes, faciei & corporis reliqvi livorem, ſudores aut planè *nullos*, aut tantùm *pauciores*, aſt *frigidos & fœtentes* ſæpe, *corporis inqvietudinem, Bubones freqventiores*, &c. Quorum cauſam & rationem §. §. ſeq. ſeq. explicatam dabimus brevibus.

§. 12. Ordiamur itaque à graviſſimo P. affectu, maniſeſtiſſimo præſentis malignitatis indicio (1.) Repentino Virium prolapſu, viſuri an ab utroque ſalſo nempe & acido idem oriri poſſit. Dicimus itaque in Peſte Reſolvente, conſiſtentiam ſangvinis debitam immutari, per ⊖ aliquod volatile acre, acidum ad ſubſiſtentiam Cruoris maxime neceſſarium deſtruens, ſangvinemq; præter fas tenuem ac rarum reddens, unde Spir. vital. domicilium ac ſedes iis redditur inconveniens, naturaque eorum ad modum alterantis evadit maxime volatilis, inde relicto Hoſpitio cumulatim aufugiunt & exteriora petunt: Inſequente graviſſimo virium prolapſu. Qvam noſtram aſſertionem ex parte confirmat communis ſudoriferorum Volatil. agendi modus, & effectus, hæc enim abſorbendo, qvod ſerum ligat & fixius reddit, fermentationem itidem ſangvini inducendo, eumque rarefaciendo, ſerum excutit & ſudores propellit, non ſine inſigni Virium proſtratione, ob Spir. Vitalium ad motum auctiorem perductorum, & cum ſero ſimul & per inſenſibilem etiam tranſpirationem aufugientium jacturam. Magis autem ſenſibilem hunc virium defectum & citiorem in P. cauſæ violentiæ & poteſtati adſcribendam eſſe judicamus qvæ ut Symptomatum copiæ ita & eorum gravitatis origo veriſſima. Idem autem præſtare acidum in Coagulatoria Lue, ratio & Experientia evincunt. Cum enim P. M. ſub qvalitate acidi M. S. irrepſerit, mox eam juſto ſpiſſiorem reddit, & Spir. viam circulandi qvaſi præcludens, & in acido illo adverſo eoſdem, ſuffocans. Debilitatis itaqve & maximam partem ſuffocatis. S. V. virium lapſum ultro ſeqvi, ratio dictitat, qvem poſtea Lipothymiæ & Syncopes, tandemqve

Mors

Mors ipſa comitari ſolet non rarò. Ex ejꝰ modi autem Spir. ♈ fuga aut ſuffocatione provenire (2.) Anxietates varias haud mirum, cum natura ad ſui conſervationem ſeduló intenta, viribus autem magis & magis deſtituta laborioſe & anxiè agere cogatur. Accedit, qvod ab acredine tum lixivioſa, tum acida, partes corporis ſenſu exqviſitiore præditæ inſigniter vellicentur, & qvod maximum animam ipſam, ratione ſuæmet ſubſtantiæ alias impatibilem, ob intimam cum corpore conjunctionem, & communicationem hîc compati, qvæ anxietatum graviorum noſtro judicio cauſa potiſſima. Horum verò duorum Symptomatum evoluta ratio, qvæ (3.) Laſſitudinis Corporis origo vera ſit exponet facile; Dejectis enim violento modo viribus pæne cunctis, emaciato per anxietates varias corpore univerſo, qvid præter Laſſitudinem expectari poterit proximius? (4.) Aphtas, Bubones & Anthraces ſive Carbunculos freqventiora cujusvis Peſtis deprehendimus Symptomata, cauſam autem ſingulorum eandem, gradu ſaltem diverſam, Acidum nempe aut Alkali, qvæ ut contrariæ cauſæ unum producant effectum nunc explicabimus. Notamus itaqve Acidum cum Alkali juſte & proportionate miſtum, atomosqve eorum convenienti modo ad motum redactos, formare colorem ad rubedinem ſummam vergentem Sangvinisqve Tincturam æmulantem. E. g. 🜍 & Ciner. Clavill. commixti & ſuper △o bene agitati, colorem ſubalbum aut fuſcum mutant in purpureum. Eædem autem Maſſæ in ▽a per Coctionem ſolutæ & liqvefactæ, poſtqve per filtrum colatæ, ſi affundatur. 🜊 aut alius Spir. acidus ad ſatietatem, rubeſcens color ſine mora induet album, inſignem ſimul de ſe ſpirando fœtorem. Ex hoc proceſſu chymico Sangvineæ Tinctur. purisqve omnis generationis cauſam deprehendimus manifeſtam. Continet enim chylus & particulas alkalinas & acidas, acuuntur eædem in Inteſtino jejuno per acceſſum Bilis & ſucci Pancreatici, ſolvuntur & liberantur in Sangvine per præexiſtentes Spi-

ritus eosdem & rediguntur in motum reſultante exinde colore iſto rubicundo ſangvineo. Accedente nunc alieno ac inimico acido, præternaturalis (in ea cui ſe inſinuat Corporis parte) fit particularum conſtitutio, prævalente qvippe acido, unde prius pugna, poſtea Spir. Vitalium, qvi hic alkali audiunt fuga & 🜍carum particularum mutatio ad albedinem & præcipitatio cum fætore eximio; Qvæ immutatio vera Puris ulceroſi exiſtit generatio. Qvantum autem hoſtile acidum fortius eſt & potentius, tantô difficiliores & graviores tum per ſe, tum ob ſedis nobilitatem affert tumores, qvantum autem debilius, tanto leviores cauſatur extumeſcentias. Unde aphtæ peccaminoſi acidi haud æſtimandam vim arguunt utp. in extremitate cutis cum leviori Sangvinis mutatione; Contra Bubones, aciditatis malignæ robur, profundius radices agens & inſignius M. S. alterans. Maxime verò Carbunculi ſive Anthraces. Ex dictis hiſce porro facile judicatur, cur tumores qvidam prius ſuppurentur qvam alii, cur Bubones & Carbunculi evaneſcentes & recedentes, malum, erumpentes verò & ſuppurantes bonum omen ſint. Cur itidem ante ſuppurationem dolor ſentiatur eximior, febricula ſæpius qvoqve adjuncta. Rectiſſime notante *Hippocr. Aph.* 47. *S. II. Dum pus ſit, dolores ac febres accidunt magis qvam confecto.* Sed hæc de Peſte, in qva maligna contigerit per Acidum coagulatio, valeant; Nunc qvomodo in Reſolvente, Alkali Tumorum variorum cauſa exiſtat, diſpiciamus qvoqve. Manet autem, omnis ſuppurationis cauſam eſſe acidum etiam ubi reſolutio acciderit Venenata, & alkali peccaverit malignum. Quoties itaque hoc reſolvendo M. S. & deſtruendo acidum neceſſarium agit, cenſemus particulas volatiliores acidas è M. S. expulſas pedetentim ad exteriora recedentes & in glandulis ſubcutaneis aut Ventriculis Muſculorum exteriorum ſe jungentes unita vi hoſtile alkali invadere inque id agendo motum efficere particularum præternaturalem exindeque calorem inſvetum, ſive Inflammatio-

nem

nem cum tumore; donec aut victo contrario, acidæ particulæ prædominentur & ſuppuratio inſeqvatur, qvia hac Peſte rarius contingit, aut ſuperato acido, tumor recedat, fruſtrato ſuppurationis actu, lugubris exitus, utplurimum clarum Indicium.

§. 13. Hucuſqve de Symptomatibus omni Peſte communibus, nunc de iis etiam quæ reſolventem utplurimum comitantur & Alkali cauſam agnoſcunt, agemus breviſſimè. Ex his ſe nobis offert. (1.) Febris nunc levior, nunc autem vehementior cum inſigni æſtu ad morbi decrementum uſque durans, eandem autem cum Febribus ardentibus cauſam agnoſcens, bilis nempe per ⊖ volat. alkali auctam lixivioſitatem & volatilitatem, qua acidum conſiſtentiæ Sangvinis inſerviens, violenter deſtruitur, antecedente prius motu præternaturali, exindeque orto æſtu præinſigni interiora & exteriora qvoqve exurente ac pulſum citiorem & auctiorem reddente. Cum verò in eo tono aucto ſc. raro perſiſtit ſed maxime *mutabilis* & *inæqvalis* deprehendatur, utpote nunc *robuſtus* mox *debilis*, nunc *magnus* mox *parvus*, nunc *freqvens* mox *rarior*, nonnunquam *Intermittens* & plane *deficiens*, qua ejus (2.) Inconſtantiæ & Inæqualitatis cauſa probatiſſima, nunc explicanda eſſet; Quod & difficile & longum nimis eſt. Si tamen certi quid eâ in re aſſerendum, dicimus paucis nec ſine ratione. Omne Sangvinis rarefactionem comitari pulſum, *magnum*, *freqventiorem*, initio *robuſtum* dein *debiliorem*, quia rarefacto Sangvine, Spiritus vitales à variis impedimentis liberati & volatiliſati quaſi multis vicibus fiunt activiores, proindeque majus ſpatium ad motum reqvirunt, ac inde arterias dilatari & conſtringi citius & latius, pulſumque porro produci majorem & frequentiorem, neceſſe eſt. Probat veritatem hujus aſſertionis, quævis pulſus poſt aſſumptum medicamentum diaphoreticum, volatile imprimis, facta exploratio. Illud enim facultate, ſerum ligans & figens reſolvendi, fluxile idem redden-

di &

di & inutiles fuligines diſcutiendi, ſangvinem quoque reddit & ſubtiliorem & rariorem, proindeque arteriarum quoque pulſationem majorem & frequentiorem, nullo non tempore deprehenſibilem. Maneret itaque ex ratione cauſæ pulſus in Peſte prius *magnus freqvens* & *robuſtus*, dein, in augmento morbi aut ad ſtatum vergente eodem, *debilis* & *parvus, intermittens* quoque & *deficiens*; quod autem juxta ordinem hunc non procedat ſed nunc parvam pulſationem excipiat magna, debilem mox robuſta, raram freqvens & vice verſa, &c. adſcribimus partim Spir. ♈. vel robori l. jacturæ inſigniori, qvat. vires ſunt conſtantiores vel dejectiores, unde pulſus quoque non æqualis eſſe poteſt, ſed prout vires ſinunt jam debilior, rarior & minor, mox renovatis iis, robuſtior, frequentior & major. Partim reſolventi alkali, quod non ſemper æquali portione cordi & arteriis infunditur, ſed nunc copioſius nunc parcius ſangvini admiſcetur Medicamentis itidem convenientibus, ad tempus & ex parte reſolutionem M. S. vitioſam impedientibus, vires generoſitate ſuâ reparantibus, indeque pulſationem mutantibus. Tum quoq; & non raro animi affectibus inſignioribus, fortitudini aut metui Animoſitati aut timori, fiduciæ aut anxietati & triſtitiæ &c. graviſſimarum alterationum ſufficientiſſimis cauſis. Sed pergimus ad (3.) Dolores capitis & qvidem punctorios, incuſantes alkali volatile acrius, acredine ſua inſigni membranas capitis exteriores aut interiores ſenſibiliter vellicans & rodens, unde ſenſatio triſtis, dolorqve pro acredinis violentia nunc intenſior, nunc remiſſior. Ex quo facile provenire poſſunt (4.) Pervigiliæ, continuo enim æſtu conſumente humidum utiliſſimum, doloreque inſigniori vexante ſenſus, inquietudines & vigilias ſequi neceſſum eſt. Turbatis autem Spir. Vitalibus & Animalibus per varia Symptomatum genera, inordinate itidem & confuſe motis iisdem per volatile & inimicum Alkali, ſenſuum externorum & internorum læſionem & facultatis rationatricis depravationem,

men-

mentisqve alienationem & deliria oriri mirum non eſt. Easdem autem particulas alkalinas ad Ventriculum delapſas (5.) Donum ejuſdem, in acido locatum, deſtruere, appetitum omnem proſternere & Anorexiam efficere poſſe, probatione non indiget, cum id omnia alkalia utp. Creta, C. C. uſt. Ocul. ♋. Corallia &c. feliciter præſtare qvotidie experiamur. Nec inqvirendum laborioſius, qvænam (6.) Sitis vehementioris, in hoc P. genere freqventioris, cauſa legitima, cum acriorum alkalinarum particularum, orificium Ventriculi ſiniſtrum mordentium & vellicantium, is ſit effectus proprius. Qvod potùs deſiderium augetur magis, cum ulterius per œſophagum Pulmonisqve laryngem progrediuntur in gulam, palatum, lingvam & labia, eadem acri ſua lixivioſitate (7.) Exſiccantes & ariditatem ac ſcabritiem inducentes, cum autem (8.) Fundum Ventriculi immoratæ fuerint diutius, eundem lancinando ad motum incitant inordinatum & præter naturalem, pro irritationis levitate aut vehementiâ, nunc leviorem, nunc vehementiorem, & per ſingultum, nauſeam & Vomitum conſpicuum. Qvæ Symptomata à lixivioſis feliciſſimè produci nulli ignotum eſſe poteſt. Nec alia (9.) Tuſſis ſiccæ & ſcreatus cauſa eſt, ſed eadem acriora Corpuſcula in Aſpera Arteria & Pulmonibus oberrantia, eorumqve membranas & cartilagines rodentia, moleſtæ tuſſedinis & cruentæ nonnunqvam expuitionis, unica ſunt origo. Cum verò inferius ad Inteſtina perrexerint & facultatem Expultricem vehementius ſtimulaverint, alvi fluxus (10.) Pro humorum varietate varios, utplurimum bileoſos, productos videmus. In M. S. ipsâ dominium exerceentia, eam tenuem reddendo, rarefaciendo & diſcutiendo (11.) Serum propellunt copioſum, ſudoresq; Anglicanos ſive colliqvativos; Acredine autem ſua inſigniori orificia & tunicas Vaſorum, mordicando perrodentia (12.) Hæmorrhagias narium producunt Symptomaticas menſumqve profluvia inſveta & nimia. In Renibus porro aut Veſica

E idem

idem agentia (13.) Mictum Sangvinis, urinamqve cruentam, &c. &c.

§. 14. Et hæc de Symptomatibus ab alkali ortis. Nunc qvid hoſtile acidum valeat, videbimus qvoqve. Inſeqvuntur autem Luem coagulantem freqventius (1.) Horror ac refrigeratio, præcipuè extremorũ artuum, provenientes ab halituum acidiuſculorum per univerſum corpꝯ diſperſorum & ubiq; frigoris ſenſum, cutem & panniculum carnoſum vellicando, excitantium, copiâ; Has acidas particulas, alkalinas Sangvinis ad motũ redigentes & cum iis efferveſcentes, caloris inſignoris & pulſus auctioris proindeq; Febris, aut Febris naturam æmulantis fermentationis cauſam eſſe poſſe, paradoxon non eſt; maxime initio morbi P. diutius enim protracto eodem, alkalinæ penitus ſubjugantur & ſuffocantur. Hanc autem refrigerationem in extremis artubus ſenſibiliorem eſſe, qvid mirum, cum in iisdem vaſa reptent minora, Spiritusqve Vitales parciores, facilius & citius contrario cedentes. (2.) Capitis Gravitas ſive gravedo ortum ſumens ab iisdem acidis atomis, glandulas cerebri occupantibus motumqve lymphæ in iisdem impedientibus, unde dolor gravativus & moleſti oneris incumbentis ſenſus triſtis. Ex eadem cauſa porro (3.) Senſuum fit hebetatio, dum nervi ſenſorii ab inimico acido obſtruuntur & conſtringuntur, Spiritusq; Animales obtunduntur, non ſine eximia ſenſuum externorum pariter ac Internorum læſione. Hinc oculorum caligo, aurium tinnitus, Guſtus depravatio (qvæ tamen provenit etiam â gravius alterata lympha in ductibus ſalivalibus, & ad acredinem non ſolum acidam ſed & auſteram, acerbam & neſcio qvos alienos ſapores imitantem, redactâ,) Affectus comatoſi ſive Lethargici, vulgo ſomnolenti, Spiritibus Animalibus obveniente ab acido iſto peccante, torpore & fixatione incipiente, qva ſegniter & lente motis iisdem, torpor accedit artubus, unde continuam mentiuntur decumbentes in ſomnum propenſionem. Cum autem ingraveſcit cauſa &

Nervi

Nervi aut penitus obſtruuntur, aut Spir. Animales in totum figuntur, ſenſus ac motus fit abolitio univerſalis & (3.) Apoplexiæ ſimilis generatur affectus. Sin vero ab acredine rodente vellicentur membranæ & genꝰ nervoſum, producuntur (4.) Motus Epileptici & Convulſivi, ſpaſmi nempe Cordis (alias palpitatio) manuum, pedum ac reliqvi corporis. Ex adſtringendi autem facultate, qvæ acido omni propria eſt, (5.) Sudores in hoc Peſtis genere aut planè inhibentur, occluſis poris & coagulato ſero, aut parciores tamen proveniunt, utplurimum autem fætorem de ſe ſpirant, cum alienum acidum particularum alkalinarum & 🜍 earum præcipitationem efficiat, & hinc ad putredinem inituum faciat; Et ex eadem Cauſa (6.) Faciei & reliqvi corporis livor inſeqvitur. Conf. qvæ ſupr. cap. huj. §. 12. de Cauſa Bubonum & Carbunc. in proceſſ. chymic. Lact. 🜍 fuere dicta. Cur tandem (7.) In hac Peſte Bubones deprehendantur freqventiores, facile judicabit is, qvi conſideraverit, Bubonum ſedem propriam locatam eſſe in Glandulis, in his autem lymphæ, mutationi ad acidum facilius ſubjectæ, Copiam contineri. Jam acidum tumorum omnium unicam & veriſſimam Cauſam eſſe ſæpius aſſeruimus.

§. 15. Sed huic noſtræ Symptomatum Peſtilentialium enumerationi diſtributioni & rationi, contrariari videtur, diverſa & mutabilis P. facies, Symptomatumqve ejus inſperata commutatio & Commixtio, qvâ Peſtem, qvam ex conjunctis ſibi affectibus tanqvam Diagnoſticis ſignis, pro Reſolvente nunc habebis, mox Coagulantis veneni Symptomata poſt ſe trahere experieris; & contra, nonnunqvam etiam ita commixta eadem fovere, ut dubitaveris, acidone an ſalſo ejus cauſa tribuenda ſit, cum utriusqve ex effectu deprehendatur dominum eximium. Unde notandum & probè obſervandum Peſt. M. Protheo ipſo eſſe mutabiliorem & facillimo negotio, in aliam ſpeciem transmutari, aliamve plane induere poſſe faciem: qt. ſcilicet nunc facta, per acidum malignum, M. S. coa-

 gulatio,

gulatio, putreſcit & robore vitalis facultatis iterum volatiliſatur, diſcutitur & ſic ex cineribus (ut ita loqvar) veneni figentis, novum generatur, toxicum volatilizans, reſolvens & diſcutiens; (non qvidem plane deperdito vigore veneni prioris, ſed aliqvanto fracto, mox autem ab extra reſtaurando.) Et vice verſa amiſſo reſolvente, ſtagnatio & glomeratio humorum inſeqvitur ſubitanea, acido venenoſo, denſante, conſtringente & figente M. S. Spirituſqve Vit. opprimente. Unde mutatis cauſis qvid mirum eſt mutari effectus & variare Symptomata? In hac tamen Peſtis mutabilitate, ſemper primum alterans alkali aut acidum ab extra adveniens, prædominare & præpollere conſiderate auguramur, unde in cura ejus, ad potius reflectendum magis, cenſemus, non tamen penitus neglectâ accidentaliter generata malignitate. Annon autem porrò ex juſtâ & convenienti horum duorum contrariorum, ſuperius recenſito modo in corpore hoſpitantium, commiſtione, tertia Peſtis facies qvam enixam vel mixtam nuncupare placet, ad modum ⊖ium enixorum (e. g. 🜿i 🜖lati ex Ol. 🜿i & Spir. 🜖li tanqvam alcali & acido producti) exſurgere poſſit, paradoxon non videtur, qvamvis pro certo hac vice idem aſſerere, noſtra intentio non ſit. Si verò ejus modi maligna & venenoſa daretur miſtura, eandem ob cauſarum vehementiam, exindeq; ortorum Symptomatum multitudinem, Medici itidem judicium dubium ac in tali caſu oppidò fallax, pro deſperata plane & incurabili habendam, judicaremus.

§. 16. Poſtqvam igitur brevibus ex Venenorum cæterorum natura & agendi modo, Symptomatumqve Peſtem comitantium qvalitate, demonſtratum dedimus, P. eſſentiam conſiſtere, vel in *Volatili alkali* l. *in figente acido*, & alterutrà facultate operationes ſuas malignas perficere; Reſtat ut vi promiſſi idem ex Juvantibus & Nocentibus diducamus. In genere autem omni Peſti medentur Compoſitiones & Opiatæ notiſſimæ: *Theriaca* nempe *Andromachi*, *Mithridatium*, *Diaſcor-*

dium

dium Fracaſtorii, Orvietanum, Elect. d. Ovo, Roob Sambuc, Ebul, Confect. Liberantis; ▽æ itidem Theriacales & prophylacticæ varii generis. Hæc enim indifferenter ſe habere poſſunt, cum ingredientia horum & ſimilium ita mixta & comparata ſint, ut veneno utriqve, aciditate vel ſalſedine excedenti, reſiſtere qveant. Et nunc Oleosâ & balſamica qvalitate acidum acrius obtundere & infringere, nunc leniori acido ſuo reſolutioni violentæ reſiſtere. Qvas compoſitiones ſedula Autorum cura ideò ex tam variis contrariæ qvalitatis ſimplicibus, commixtas voluit, ut occultatæ P. facultati eò ſecurius eatur obviam, & in utramque partem, medicina habeatur parata. In ſpecie verò venenatæ Coagulationi opponenda talia, qvæ aut volatili ſua qvalitate coagulationem malignam reſolvere, impedire, acidum enervare, Sangvinem rarefacere & calido innato ſuccurrere, & ſic Spir. Vitales & Animales qvaſi compedibus ſuis liberare poterunt. Præſtabunt id feliciter Aromatica & Diaphoretica ob eam rationem Alexipharmaca ſive Veneno reſiſtentia dicta, ut ſunt: *Flor. Calendulæ, fol. Scord. Rut. card. ben. Cent. min. Radic. Zedoar. Angelic. Contrayerv. Petaſit. &c. Lign. Juniper. Saſſafr. Guajac. Baccæ Junip. Sambuc. &c. Camphora, ⊖ volat. C.C. ✳, urinæ, horum* item Spir. & alia varia ex his hujusq; facultatis medicamentis compoſita. Impetrant eundem qvoq; Scopum ac veneno coagulanti potenter reſiſtunt, qvæ abſorbendo acidum malignum, Sangvini circulationem juſtam reddunt. Qvâ virtute pollent Terræ varii generis *Lemnia, Sigillata, Bolus Armena &c. C.C. uſt. ejus Magiſterium, Os de Corde Cervi, Cran. human. Ungul. alc. Bezoar. Or. ♉ diaphor. Bezoardicum Minerale* tam *ſimplex* qvam *☉lare ☾nare, &c. Emulſiones Semin. frigid.* qvæ qvoqve facultate acidum demulcendi & leniter infringendi, præditæ ſunt, aliaqve ſexcenta, ap. Autores hinc inde notata. Nocua ſunt in hac lue (ut facile conjecturandum) omnia Acerba, auſtera & ſtipticam vim poſſidentia, & hinc qvoqve ✛ & ab ✛is parata

 pro-

§. 19. Ex Nonnaturalibus primus ſe nobis offert *Aer*, potiſſima cujusvis morbi Epidemii cauſa, non qvidem per ſe, utpote utiliſſima, Sangvinis motui, aura & maxime neceſſariũ Maſſæ Sangvineæ pabulum ac refrigerium, ſed quatenꝰ alienas venenoſas atomos ab extra accipit, aut accidentaliter generat, continet, fovet & ab iisdem, mirum ad qvam vitioſam Indolem contrahendam, alteratur. Quod variis modis contingere deprehendimus. (1.) Virtute Solis & radiorum ejus, qui potentiſſime quævis Atomorum genera, ex Terra ejusque Intimioribus receſſibus ad ſuperficiem ejus trahunt, auræ aëreæ miſcent & pro qualitate Corpusculorum eorum, Corpus aëreum alterant & immutant. Qvemadmodum non raro contigiſſe legimus, ex Mineris metallorum exhalationes Arſenicales, ☿iales, ♁iales aut alterius venenoſæ indolis, Ope Solis productas, aut violenta Terræ Concuſſione & motu extruſas fuiſſe, quarum commiſtio cum aëre ſalubri, ejusque aut per inſpirationem aut per poros cutis inſinuationem, Sangvini facta communicatio, lugubres edidiſſe ſtrages. Alteratur Aer (2.) Per Atomos putridas ac fætidas aquarum & paludum ſtagnantium. In defectu enim motus neceſſarii per continuam quietem, non tantum inertes fiunt, ſed etiam putredinem, & neſcio quas malignas acquirunt qualitates, hæ vaporis inſtar per nebulas aſcendunt & nubibus continentur, donec reſolutæ aëri ambienti communicentur, & per neceſſariam homini auram, attractæ, miram Temperamento inferant alterationem. (3.) Idem Aer notabiles ſubit mutationes ab effluviis putridis cadaverum quorumcumque libere projectorum, & ſub dio aperto putredinem contrahentium, hæc ut ſeminia ſua abſque impedimento in aëra emittunt, ita morboſam eidem qualitatem inducunt, quæ ſæpius exitioſæ Luis cauſa ſufficiens exiſtit. Teſtantur id variæ ſtrages, pecorum, piſcium aut inſectorum aliorum, Clades itidem inſigniores hominum, quorum corpora aut plane inhumata projecta, aut tamen non ſatis alte ter-

ræ amandata, contagioſis, quos expirarunt, halitibus, auram univerſæ fœdarunt provinciæ; qualem, ſub Imperio Romuli, late in Latio ſævientis P. cauſam, recenſet *Livius.* (4.) Etiam aër ſemetipſum in pejus alterare, & corruptionis ſuæ cauſa ipſe dici poteſt, quatenus ſcilicet atomi ejus humidæ & calidæ diutius immotæ conſiſtentes, putredinem acquirunt venenoſam. Contingit id ſæpius in ceſſatione diutiori ventorum; aurâ ſuâ flatulentâ aërem alias perſpirantium, eundem moventium, inſalubria corpuſcula diſpergentium & conjunctionem Virium malignarum impedientium, ut ita diſperſis iis, effectus prohibeatur, quem conjunctis viribus obtinuiſſent facillimè. Idem pluviæ defectus efficit non rarò, quemadmodum enim & pluvia, convenienti tempore deſtillans, levis quoque mo..s cauſa eſt atomosq; aëris refrigerat, eluit, & nocuas abſorbendo, ad inferiora ſecum rapit; ubi aut facultate ſuâ penitus exuuntur, aut aliis corporibus ſimilis qualitatis, (quemadmodum Terræ chremium, innumera ejusmodi fovet) junguntur, aſſimilantur & in locis ſubterraneis fixæ conſervantur: Ita ejuſdem ultra modum diutior protractio, graviorum & malignarum aëris alterationum cauſa eſſe poteſt, quod damno ſuo experta ſatis eſt inclytum Batavorum Lugdunum, hæc enim, Anno 1669. affectum epidemium, Civitatem eam ejusque Vicinia triſti ſpectaculo affligentem & potioribus habitatoribus Orbantem, præceſſit proximè. Notante *Celeb. Sylv. pecul. de malo eo Orat. Op. ſ. p. 913.* Sicuti autem omnimoda Ventorum & pluviorum ceſſatio, aëri noſtro maxime nocua, ita nec qvodvis ventorum genus, nec continuum aut immoderatum Cæli ſtillicidium, eidem proficuum. De iis imprimis obſervandum, qvod Auſter & Boreas vim habeant, magnas corporibus noſtris mutationes inferendi: Is ob copioſum ⊖ volat. magno numero ex Zona torrida, ad nos deportatum, quoq; aura noſtra imprægnatur uberius; hic, ob particulas acidas & auſteras ⏀ſas ⊕licas &c. ex Regionib9 ſeptentrionalib9, fodinis & cryptis cu-

jusvis metalli abundantibus, ad nos translatas, qvæ non minori, corpus noſtrum alterandi, faculte pollent. De hocce, pluviæ nempe exceſſivo defluvio, certum eſt, id inſigniori putrefactioni anſam dare, & corruptionis aëris cauſam exiſtere poſſe. Proinde *Hippocrates*, ſæviſſimam Græcorum notaturus Peſtem, Annum antecedentem deſcribit à ſingulari humiditate, ſpirantibus potiſſ. Ventis auſtrino & Boreali *3. Epidem. Com. 3.* An verò (5.) Aſtrorum varia conjunctio ſive Conſtellatio, eorundemque influxus, in aërem pariter ac corpora humana, aëris alterati cauſa ſtatui ac nuncupari poſſit, Mathemicorum relinquemus obſervationibus & Judiciis. Interim à Medicis eorum vim vix æſtimandam eſſe cenſemus, licet pro affirmativa ſententia laborioſe pugnet Curioſiſſ. Naturæ Scrutator *Athanaſ. Kircher. Scrut. P. Sect. I. C. V. p. 37. & C. XI. p. 119. ſeqvent. & Arte ſua Magnetic. paſſim.* Incuſant communiter Aſtrologi conjunctionem ♂is & ♄i eamqve infelicem utplurimum prædicant, quam quoque ante nuperrimam Viennenſem luem contigiſſe. d. 10. Aug. Anno 1678. Autor eſt *D. Sorbait* Archiater Cæſareus *Dialog. Conſil. Medic.* Augurenturque operationem fortiorem, ſi ☾ patiatur Ecclipſin ſub ſigno Aquarii, trutinæ & Scorpionis quam d. 15. Apr. Anno 1679. eandem Peſtem pariter anteceſſiſſe, Idem l. c. aſſerit. Sed hæc cum cæteris Meteoris cujusvis generis, ex quibus omina felicitatis aut infelicitatis, omni tempore ceperunt homines, ut planè non temnimus, ita nec magni æſtimamus; Aut ſi tandem aliquid eorum operationibus tribuendum ſit, pro nobis adducimus verba *Roderici à Caſtro 3. d. Morb. Mulier. C. 3. Cæleſtes aſpectus non poſitive ſed privativè peſtem inducere, qvatenus interdum ſublunares actiones non adjuvant.*

Sed hæc de Aëre; In Victu manifeſtior eſt ratio, cum Corporis noſtri ſalubritas, maximam partem ex Salubritate & convenientia ciborum, nullo contradicente, dependeat; Cibi enim, difficilis concoctionis & facile putreſcentes, ut

Carnes

Carnes ſemicocti, potus non probe defæcatus, fructus horarii &c. generant cruditates humoresque craſſos & putridos. Maximopere, cum defectus cibi convenientis, fameſque atrox, homines ad inordinatis & inſvetis veſcenda, cogit ac impellit: Quod in obſidione Hieroſolymitanâ contigiſſe, Autor fide dignus *Joſephus* narrat, comite Peſte atrociſſimâ morte tot hominum millium, memorabili. Unde Vetus proverbium, ap. Græcos quoque invaluit: *λοιμὸς μετὰ λιμόν. Peſtis poſt famem.*

Nec Somnus hîc prætereundus, qui nimius ac præter fas diutior, Spir. reddit ſegnes, torpidos & minus activos, proindeque facilius ab externo hoſte vincendos. Cum è contra Somnus turbulentus & vigiliæ nimiæ concoctionem impediant, Spir. diſtrahant, cruditates augeant, intemperies producant & conſequenter ad concipiendum quod vis venenoſum miasma, corpus aptum reddant. Veriſſime decernente Divino Sene. *Somnus & Vigilia, utraq; ſi modum exceſſerint Malum, 2. Aphor. 3.*

Eadem fere ratio eſt Motus & Qvietis. Is in exceſſu peccans Spir. Vitales depauperat, quas vis actiones naturales impedit & corpus langvefacit & debilitat. Hic motum circularem Sangvinis inhibet, lentum facit ac tardum, humorum ſtagnationem efficit, eorundem putrefactionem adjuvat, ex qua innumera propullulare poſſe mala, certo certius eſt.

Excreta quoque & Retenta, ut ſecundum naturam aut critice ſe habentia, maximè ſalubria, ita præter naturam aut ſymptomaticè facta, ſummopere noxia ſunt. Quoties enim excernuntur aut planè non excernenda, aut modo inſolito, aut quantitate injuſta; quoties etiam retinentur plane non retinenda (quod in alvo, ſudoribus, hæmorrhordibus, menſibus &c. ſæpius accidere experimur) toties hæc prodromi, naturæ laborantis & mali imminentis, eſſe poſſunt.

Denique Animi pathemata, ut quovis tempore potentiſſimè Spir. immutare poſſunt, ita & in hoc malo inter cauſas remotiores non ſunt leviſſimæ, Gaudium, Amor, Triſtitia, In-

vidia aliaque animum inquietantia, vim habent inſigniter alterandi omnes animæ facultates. Imprimis Terror & Metus, cum multi, viſo deſceſſu vicinorum, cognatorum aliorumque atroci lue ereptorum, ultra fas vitæ ſuæ metuunt, unde animus redditur dejectus, Spir. fugaces, debiles & latebras quaſi quærentes, proinde officio ſuo non rite præſunt, actionesque naturales & Vitales aut vitiosè aut imperfectè peragunt; Præſervatoria quæq; etiam ſtrenuiſſima, virtute ſuâ, ob triſtificam Spirituum impreſſionem, defraudantur, imo antidota ipſa, temperamentis ejusmodi cedunt in locum Venenorum, ut ita veriſſima ſint Verba *D. Fr. Joëlis, Tempore Peſtis plures metu Peſtilentiæ & Mortis ferè inficiuntur, qvam è contagioſo aëre.* Horum autem omnium affectuum & pathematum Animi, directices jure audiunt Imaginatio & Phantaſia, quo enim earũ Impreſſiones & Ideæ fortiores & tenaciores, eò quoque mentis & Spirituum alterationes evadunt inſigniores & graviores, earumque effectus ad admirationem usque ſingulares, qvod plauſtra exemplorum confirmare poſſunt. Narrat *Cornel. Agrippa, Cyppum Regem Italiæ, cum Taurorum pugnam Victoriamq; altius meditatus eſſet, & in illa cura obdormiviſſet, mane cornigerum repertum eſſe.* Rationemqve addit, *Virtutem Vegetativam Vehementi Imaginatione Stimulatam, corniferos humores in Caput elevaſſe & cornua produxiſſe.* Sed maneat fides penes Autorem. Interim alia manifeſtæ veritatis teſtimonia, ſi neceſſitas id exigeret, nullo negotio afferri poſſent. Sufficiat in animum revocaſſe, qvid prægnantium Pica ſive Malacia efficiat, & qvales ſæpius characteriſmos rei avidius cupitæ, Infantis corpori imprimat, ſola phantaſtica Imaginatione, in hoc paſſu potentiam ſuam exhibente. Qva de re nunc autem prolixior eſſe nolo, cum id à *Philoſopho Ingenioſiſſimo. Dn. Marc. Marc. Tr. de Id. Operatr. & D. Dav. d. Beck Annot. circ. Princ. Rer. Nutural.* ſufficienter factum ſciam. Ad qvos B. L. remitto.

§. 20.

§. 20. Videmus itaqve res non naturales utiq; multum ad Infectionem peſtilentialem tribuere poſſe, qvid præternales valeant tribus verbis monebimus. Per præternatural. autem omne morboſum & Symptomaticum, Conſtitutioni ſecundum naturam adverſum, indigi amus, ſeu Morbos Symptomata & Cauſas morbificas. Tum eqvidem nullum morborum aut Symptomatum genus per ſe alias leve, graſſante hac lue, tutum eſſe poteſt, cum qvævis etiam leviſſima corporis alteratio oberranti huic Draconi peſtifero, anſam virus ſuum inſerendi, facile dare poteſt. Si enim corpora ſane Conſtitutionis invaduntur ſæpius, qvid non in male affectis, leviter qvamvis, extimeſcendum. Imprimis Febres malignæ & punctiales, facillimo negotio in Peſtilentialem & Peſtem transmutari qveunt, cum fomes utriusqve ſit venenatus, gradu ſaltem diverſus.

§. 21. Necnon Naturales & Præternaturales Res tantùm accuſandæ. Sed etiam Naturales cauſæ P. nuncupari poſſunt, qvamvis aliqvanto remotiores. Sic Temperamenta frigida & ſicca, Calida qvoqve & ſicca, minus, humida verò & calida, humida itidem & frigida, magis proclivia & apta ſunt ad recipienda venenoſa ſeminia. Et ex eo fundamento Infantes, Pueri & fæminæ, imprimis utero geſtantes, facilius inficiuntur, Adoleſcentes, Viri & Senes difficilius, Autumnales qvoqve ex eadem cauſa præ cæteris exiſtunt pertinaciores. In genere verò hoc notandum: eos, qvorum temperamentum multum continet humidi (qvod facile acqvirit putridinem) qvi poros itidem cutis habent patentiores, caloremqve aut in exceſſu aut defectu peccantem, ad recipienda venenoſa Peſtis ſeminaria eſſe aptiores. Qvod autem iis, qvi novilunio diem obierunt natalem, contingat idem, aliqvanto longius petitum videtur. Sed hæc de Cauſis proximis & Remotioribus dicta ſufficiant.

DE CONTAGIO.

§. 1. Anteqvam autem hanc, de natura Peſtis materiam, penitus relinqvimus, pauca de propagatione ejus ſive *Contagio* nunc monebimus; Notum enim eſt, infectionem propriisſimam Peſtis eſſe affectionem. Deſcribimus autem *Contagium*, qvod ſit *Miaſmatis Venenati à corpore in Corpus transmisſio, qvâ ſimilis affectionis malignitas eidem inducitur.* Accidit autem Infectio per Medium generalius & ſpecialius. Illud potiſſ. reſpectum habet ad aërem, commune cunctorum viventium ſuſtentaculum; Hoc, ab adventitia maligna aurâ, infecto, Totæ Urbes, Univerſæ Regiones & Provinciæ ſimul contagio afficiuntur. Tale inqvinamentum contigit aëri Athenienſium, cum Peſtis in Ægypto & Æthyopiâ Sævientis Atomi, per Ventos in Græciam translati, eandem ibi ediderunt ſtragem. Teſte *Hippocrate & Thucidide.*

§. 2. Hoc, ſpecialius medium nempe, Subjectum qvodvis, peſtilentiali Seminio imbutum prius, nuncupari poteſt. Experientia aſſertum comprobante. Ægrum peſte decumbentem innumeros alios, per venenata ex corpore effluvia inficere, nemo facile dubitabit, indeq; qvivis jure fugiet infectorum loca. Idem qvoqve Animalia alia, qvorum ap. infectos hoſpitatio fuit propinqvior, poſſe, obſervatum eſt. Per muſcas, ſuccum virulentum ex Cadaveribus Peſte mortuorum, pro alimento exſugentes, poſteaqve ſolito ictu ſanos percutientes, qvoſdam ejuſdem luis, participes factos, refert *Mercurial. L. d. Peſt.* Felem, atomos nocuos ab aëre Venenato aut decumbente ægro, cuti villoſa ſuſcipientem, contagium Moniali attuliſſe, narrat ex *Orengio Athan. Kircherus.* Per Aves ex infectis Locis ad ſaluberiora tendentes, æqvalem Luem transporta-

tam

tam eſſe, multæ confirmant hiſtoriæ. Idem etiam præſtare Veſtimenta, ſtragulas, linteaminaque, longum nimis foret per exempla demonſtrare, cum etiam noſtris temporibus non ſemel per ejusmodi res Peſtem longè lateqve diſſeminatam, audiverimus. Qva ratione per literas in loco infecto exaratas & ad ſaluberiorem transmiſſas, contagium propagatum fuit ap. *Helmontium. Tr. Tumul. Peſt.* legi poteſt. Sic qvoqve *Foreſtus* meminit per Inſtrumenta Chirurgica qvæ tempore Infectionis ad Bubonum, Carbunculorum &c. apertionem & curam, adhibita fuerunt, diu ſopitam luem iterum revocatam & à mortuis qvaſi reſuſcitatam eſſe. Summa vix res qvædam reperiri poteſt, (♀ excipiunt alii) quæ Luis hujus venenatas atomos capere, & ad Corpora alia transferre neqveat. Unde tempore Peſtis omnia æſtimanda ſuſpicioſa, nec facile qvicqvam in uſum trahendum, niſi prius convenienti modo purgatum & à miaſmatibus venenoſis fuerit liberatum de qvo ſ. l.

§. 3. Sicuti nunc medium Infectionis planè innumerum, ita contra modus inficiendi tantum duplex. Interior nempe & Exterior. Iſteqve iterum bifariè potiſſ. peragitur. Semel qvâ Cibi & Alimenta pro nutriendo corpore, ſtomacho ingeſta & venenoſis corpuſculis prius tincta, ſtatim in prima concoctione vitium inducunt, qvod in ſecunda & tertia redditur gravius; Altera ratione, qvâ particulæ virulentæ cum aëre per os & nares attractæ, modo per Laryngem in pulmonum officinam dimittuntur, ibiqve Sangvini per Venam arterioſam ad ſiniſtrum Cordis Ventriculum tendenti, miſcentur, donec per Circulationem toti M. S. communicatæ, ubiqve vires ſuas per Symptomata varia explicent; Modo autem in Ore cum ſaliva aut lympha ibid. profluente commixtæ & deglutitæ, prius fermentum Ventriculi depravant, mox bilem aut ſuccum Pancreaticum, hinc per vaſa lactea & ductum Thoracicum ad Cor properantes, M. S. pernicioſè alterant & malignitatis vim in toto Corpore exerunt.

§. 4.

§. 4. Exterior autem inficiendi modus hic eſt: Res variæ funeſtis imprægnatæ ſeminariis prius, levi contactu membris corporis ſani applicantur, & hinc Corpuſculis venenatis ſeſe in poros cutis inſinuandi, occaſio datur, per hos ad muſculos tendunt proximos & in Ventriculis eorum, cum fermento ibidem ſtagnate effervefcunt, motumqve fermentationis producunt, mox eo alterato, per Vaſa Sangvinea intimius progrediuntur, donec ſingulis debellatis univerſi Corporis Oeconomiam perniciosè & graviſſimè lædant. Qvemadmodum autem non impoſſibile eſt unius corporis infectionem per omnes recenſitos modos contingere poſſe, ita unum etiam, eumque l. interius l. exterius peractum, idem præſtare poſſe certo certius eſt.

CAP. V.

DE DIFFERENTIIS.

§. 1. Nunc ad differentias Peſtis denominandas nos deferemus qvoq; eas petituti partim à Subjecto, partim à cauſa, partim ab Accidente, partim ab effectu, partim à Circumſtantia Loci & Temporis (1.) Ratione Subjecti Peſtis invenitur. Vel communis ſexui utriqve Maſculino & fæminino, omnibusq; Ætatibus, Infantibus, Adoleſcentibus & Senibus, promiſcuè eos jugulans, nulla habita ratione generis aut Ætatis, qvalis communiſſima Peſtis eſt Indoles, qvâ pari tyrannide invaduntur Juniores ac Senes, mares ac fæminæ florentis ac deflorentis ætatis, ob Seminarii Peſtilentialis eximium vigorem & maxime malignam qvalitatem, cui nec fortiſſimæ naturæ ipſaque nonnunqvam antidota reſiſter qveunt. Vel Propria utpl. Infantibus, qvalis fuit ea, qvæ Anno 1617. Neapolim ejusqve Vicinia peragravit, & in prædicta Civitate ad 60000. Infantium enecavit ex relatione *Mercurial. L. d. Peſt.* Aut Fæminis

potiſſ.

potiſſ. infeſta, maxime utero gerentibus, documento hujus P. naturam non æqve malignam & venenatam fuiſſe, & proinde poteſtatem ſuam exercuiſſe tantum in iis ſubjectis in qvibus copia ſaburræ inutilis humorumqve putridorum, fomiti Peſtilentiali receptaculum conveniens conceſſit. Talem autem putredinis abundantiam præprimis in Pueris ac Mulieribus gravidis reperiri citra dubium eſt. De cætero non pepercisſet reliqvis, Maſculis nempe aut adoleſcentibus, ſi parem præexiſtentis putridi humoris acervum, gratum venenoſo miaſmati hoſpitium, offendiſſet.

§. 2. (II.) Ratione Cauſæ Peſtem diſpeſcimus (α) in Mitiorem & graviorem ſive benigniorem & violentiorem. Illa cauſas habet venenoſas equidem ac maxime nocuas, aſt non æqve malignas ac violentas, unde non tam inſidiosè invaduntur homines, nec progreſſus morbi juxta principium Augmentum, ſtatum & Declinationem, tam celer eſt, Symptomata qvoqve mitiora nec tanto cumulo comitantia tenet. Plurimis etiam, aut multis tamen decumbentibus reconvaleſcentiam, naturæ & Medicinæ robore victa, concedit. Hæc verò Seminaria ſpirat extreme maligna ac violenta, unde inſperatô magis obruit quam invadit infectos, affectus graviſſimos ex omni ferè morborum & Symptomatum genere, catervatim poſt ſe trahit. Omni medicinæ etiam ſtrenuiſſimæ eludit, morbum qvoque rariſſimè ad ſtatum pervenire ſinit, ſed mox in principio aut augmento decumbentes jugulat. Paucos ad modum ſanitati iterum reſtituit, plurimorum interitu triumphat. (β) In ſupra Naturalem & Naturalem, Artificialem & Magicam; iſtam dicimus, qva, nulla mediante re naturali ſola omnipotentis manu divina, hominum ſcelera & facta peccaminoſa, peſtilentiali ſtrage vindicantur. Cujus exempla Sacer Codex nobis offert inſignia, & primo qvidem in Ægyptiis contumacibus, qvi pænas ſuæ pertinaciæ, lugubri, omnis Ægyptiæ primogenituræ, Peſte, dederunt, *Exod. C. XI, & XII.*

Deinde in Populo Iſraelitico, qvam temerariâ & inconſultâ numeratione contraxerat David, in qva ſeptuaginta millia virorum interière, ſpatio trium dierum *II. Sam. C. XXIV.* Poſt in Caſtris Aſſyriacis, qvâ elatus Regis Aſſyriæ Animus, centum & octuaginta quinque virorum internecione, una nocte facta, ad Saniora cogitanda redactus eſt. *II. Reg. C. XIX.* Naturalis cauſas agnoſcit naturales tanquam media, ſemperque Vitium aut in aëre, aut victu, aut alia quavis re prius infectâ, aut in his conjunctim deliteſcens habet. Qvam potiſſ. attinet quicquid hucuſque de Peſte dictum à nobis eſt, & in ſequentibus adhuc dicetur, cum hæc ex naturalibus cauſis generetur, per naturalia itidem media removeatur & abigatur. Naturæ æmula eſt Ars, qvæ ut in bonis laude digna, ita in malis nunqvam ſatis deteſtanda eſt. Non enim acqvievit curioſitas ingenii humani, in eo qvod humanum, ſed ultra mortalium ſortem evecta, ſedem Deorum eſt imitata & exemplo *Archimedis* Cælum in Terra conſpicuum dedit, imò fulgura & Magni Jovis tonitrua æmulata eſt. Et hæc excuſanda adhuc eſſet, niſi Plutonis quoque Regnum ingreſſi Mortales, nefanda plane & plusquam Furiarum malitiâ & rabie acti, qvicquid fædum, fætidum ac nocuum, ex imis ac fætidiſſimis Inferni camerinis, produxiſſent in medium, ſolo nocendi ſtudio & vindictæ cupidine agitati. Docet enim hodierna experientia, non ſolum Victum, cibum nempe & potum, venenoſis ſæpius, per hominum malitiam qvalitatibus corrumpi, fontes & integra flumina toxico violari, indeque Peſtilentiam excitari, ſed & Aërem ipſum non amplius eſſe tutum, dum variæ malignæ indolis materiæ congeſtæ & machinis bellicis immiſſæ, in Urbes & Caſtella obſeſſa conjiciuntur, quarum atomi igne reſolutæ & aëri ambienti communicatæ fætorem ingentem conciliant, ſimulque auram alias ſalubrem perniciosè inficiunt. Jure hoc fiat an Injuria quis in hoſte requiret? Et hos inficiendi modos nos Peſtem artificialem nuncupamus, eademque eſt, quam *L. Annæus Se-*

nec.

nec. L. I. de Ira. Manufactam dicit, & inter atrocia hominum recenſet ſcelera; Qvæ verò per qvotidianam praxin nunc abiit in Virtutem, & in numerum ſtratagematum militarium referri vult. De quo noſtrum non eſt judicare. Per Magicam ſive Diabolicam Peſtem cujus in Diviſione P. mentionem fecimus, indigitamus eam in ſpecie, qvæ ope abjectiſſimorum Diaboli Mancipiorum, Necromantarum puta & Sagarum, circæa induſtria inventa, & in urbes & Regiones traducta ſæpius eſt, ſolis nonnunquam characteribus, aut invalido verborum ſtrepitu, aut medio nonnunquam viliſſimo, & ad tantum effectum præſtandum, indigno. Nota eſt ab ejusmodi Origine Magica, Peſtis Anno 1630. Mediolanum inaudita ſævitia peragrans, urbemque prædictam ad ultimam uſque ruinam affligens. *Teſte Athan. Kirch. c. l.* Hæc P. Species etſi Cacodæmonem ipſum Autorem agnoſcat, qvi ut æterna gratia elapſum ſe novit, ita plusquam Vatiniano, erga Mortales, odio flagrans, quocunque modo iiſdem nocere ſtudet, proindeque fætidiſſimam mephitin & quicquid nocui & adverſi in purgamentis mundi latitat inſidioſe producere novit. Attamen nec hæc media reſpuit naturalia, ſed cauſas agnoſcit naturales, qvas artificiosè excitare Mille Artifex Satanas callet. Unde ratione cauſæ (materialis, mediatæ) non minus Naturalis hæc Peſtis dici poteſt, ratione verò Originis & Autoris Magica, Diabolica & Venefica jure nuncupatur.

§. 3. (III.) Ratione Accidentium obſervatur mira Peſtis indoles utpote pauperum tuguriis utplurimum parcens Divitum verò palatia ſtrage communi infeſtans, cujus qvalitatis P. referunt *Annales Franciæ.* Item ſolos Ethnicos & paganos jugulans, Chriſtianorum verò Domicilia præteriens: qvam tempore Cæſaris Maximini invaluiſſe Hiſtorica monumenta exhibent; Sic qvoqve Valentiæ in Hiſpania Anno 1648. Sutorum viguit P. præter eos vix qvenqvam initio invadens. Alia qve tempore Juliani progreſſionem arithmeticam ſervans,

& tertiam qvamque domum depopulans. Et rurſus alia Baſileæ ſolos Helvetios enecans, cæterasqve nationes ſtudio quaſi dimittens. De his ut & multis aliis Proprietatibus. Vid. Sæpius Laudat. *Ath. Kirch. l. c. S. I. p. m. 103. & S. II. c. III. p. 214. ſeqventibus.*

§. 4. (IV.) Ratione Effectus L. P. ſe probat partim ut Reſolutoriam, parim ut Coagulatoriam, Illa motionem Sangvinis creat auctam, Spir. Vitales ſede amicâ excutit & exturbat, Sangvinem præter fas rarefaciendo. De ejus qvalitate participat Lues dicta Sudor Anglicanus, qva inceſſabili ſudoris copia ægri pene diffluunt, reſoluta in ſudorem qvaſi tota M. S. cum virium prolapſu citiſſimo & morte certiſſimo. Hæc plane contraria ratione motum circularem impedit & torporem Spir. Vital. inducit, & maligna qvadam liqvoris Sangvinei coagulatione compedes qvaſi Facultatis Vitalis præfectis imponit. Unde ad actiones juſtas obeundas inertes facti, comatoſo ſimili affectu iners anima efflatur. Hujus indolis Peſtem Ægyptios ſæpius affligere, qvâ homines veluti ſiderati ſtupefiunt, tetanoqve perculſi jugulantur, *Proſper Alpinus* Autor eſt. Talemqve *adſtringendi* & figendi vim Luem Neapolitanam habuiſſe ex *Mercuriali & Athanaſ. Kirchero* legi poteſt.

§. 5. (V.) Tandem ratione Circumſtantiarum & qvidem *Loci* diſtingvimus Peſtem in *Univerſaliorem*, multis Regionibus Provinciis imo & Regnis ſimul infeſta, qvalem referunt Hiſtorici temporibus Caroli IV. graſſantem & univerſum terrarum orbem incredibili ſævitia depaſcentem, vix ſuperſtite tertiâ hominum parte. Si *Ath. Kirchero* credendum eſt. Et *particularem* uni regioni aut civitati, pago etiam propriam, nec ulterius ſerpentem, qvam ſæpius contingere experimur. Ratione Temporis diſpeſcitur P. in Vernalem & Autumnalem, Æſtivalem & Brumalem, qvam P. differentiam ab Anni temporibus petitam, veritate experimentali probatam eſſe, nemo inficias ibit?

CAP.

CAP. VI.

DE SIGNIS P. DIAGNOSTICIS ET PROGNOSTICIS.

§. 1. Nunc à Cauſis & differentiis ad affectiones ſive proprietates Morbi properare neceſſarium ducimus, cum ex iis tanqvam certiſſimis indiciis, naturæ Peſtis cognitio dependeat. Dicuntur communiter à Medicis ſigna & teſtantur partim de Morbi natura & genere, partim de ejuſdem exitu & periculo. Illa *Diagnoſticorum* titulo inſigniuntur. Hæc *Prognoſtica* audiunt.

§. 2. Habent inſuper & alia ſigna, Peſtis imminentiam & adventum indicantia, in anteceſſum, petuntqve ea â *Ranarum, Bufonum, Locuſtarum, Serpentum, muſcarum &c. freqventia inſolita, frugum fructuumq; flacciditate, Ecclipſibus, Cometis, pane recenti, dio per noctem expoſito & mucido facto, continuis pluviis, aut etiam defectu eorum ut & Ventorum, fame & pravorum ciborum uſu, Aqvarum crebrâ inundatione, avium, puriorem aërem haurientium, migratione, ſporadicorum morborum ceſſatione &c.* Hæc & ſimilia Signa Empirica etſi non plane deſtituantur rationibus, attamen certa & evidentia non ſunt, cum ſæpius inventa eadem nec ea propter Peſtilentialis inſecuta fuit Lues, proinde ut minus certa ea mittimus, nec in reddenda eorum ratione laborioſius erimus occupati.

§. 3. Signa autem Diagnoſtica præſentiam P. evincentia, inveniuntur Communia & Propria. Ea capiuntur â Symptomatibus variis, Luem hanc longâ ſerie comitantibus, & aliis quoque morbis communibus. Certum enim eſt & aliquoties â nobis dictum, P. non tam morbum eſſe, qvam morborum & Symptomatum colluviem, cum nihil ſit, quod P. Symptoma fieri neqveat. Sunt autem ea, qvæ præcedenti Cap. IV. §. 11. &

ſeq. annotavimus & illuſtravimus, unde tædioſâ repetitione hîc ſuperſedere volumus. Propria verò colligimus ex *Symptomatum graviſſimorum inſigni copiâ, Infectorum eodem modo multitudine, morbi progreſſu celerrimo & Violento, Virium itidem prolapſu citiſſimo ac bubonibus & carbunculis malignis admodum.* Hæc ubi deprehenderis conjuncta, de P. L. præſentia dubitare haud amplius licebit.

§. 4. Ex Pulſu verò & Urina vix certi quid judicari poterit; Cum is inæqualis, & nunc magnus, nunc parvus, nunc freqvens, nunc rarus, nunc robuſtus, nunc debilis, nunc intermittens, nunc plane deficiens, ſumma inconſtantiſſimus deprehendatur; Hæc verò pro humorum Varietate varia appareat. In qvibuſdam enim rubet, in aliis liveſcit, nunc tenuis nunc craſſa, mox ſanorum ſimillima invenitur, proinde vix pro Signis in hoc Morbo recipi poſſunt, niſi, conjunctis reliqvis judicium Medici ea adjuvare dixeris.

§. 5. Nunc qvid ſperandum qvid metuendum, Signa Prognoſtica ſæpius feliciter patefaciunt. Communiter omnis Peſtis ſuſpicioſa, ob maxime inſidioſam agendi rationem, dum enim amiciſſime blanditur, nocet periculoſiſſime, & cum omnia recte ſe habere videntur, Mors inſperato occupat; Attamen nec propterea deſperandum totaliter, ſed poſt Deum fidendum eſt Medicinæ & Medicamentorum facultatibus. In ſpecie autem notandum (I.) Ratione Vitæ & Mortis. Qvo Symptomata ſunt parciora & leviora, vires decumbentis conſtantiores & fortiores, medicamentique Operatio, ad ſcopum intentum, f icior, eò magis bene ſperandum. E contra Symptomatum Cumulum, Vires ægri debiles & Inconſtantes, medicamenti etiam ſtrenuiſſimi vim & facultatem irritam, malum Omen eſſe ſcias. Sigillatim Evomitiones nigræ, Bubonum, carbunculorum & macularum ſubita eruptio & iterum evaneſcentia, narium hæmorrhagiæ Symptomaticæ, anhelitus fætidus, triſtis eventus utplurimum indicia e e ſolent. Idem

d:

de punctorum liveſcentium ſubnigrorum per cutem ſparſione augurantur Doctores. Cætera Signa Empyrica & ad partem, anilia, utpote noctuarum ad feneſtras decumbentis Volatus & torvus clamor, Canum & felium ejulatus & cuniculationes, ex quibus mala omina capere ſolent rudiores, tanquam Medico indigna, prætermittimus ſcienter.

§. 6. (II.) Ratione Termini durationis. Hic cum valde incertus ſit, & nunc viginti qvatuor horarum ſpatio, nunc die tertio, qvarto, qvinto, ſeptimo, vel ad vitam l. ad mortem acceleretur, raro ultra decimum diem extendatur, certo determinari non poteſt. Præter propter tamen colligitur ex hiſce: Qvo Bubones & Anthraces celerius erumpunt & ſuppurantur, qvo Symptomata citius remittunt & imminuuntur, Eo curationis celerioris Spes, intra quatriduum, plus minus, expectanda. Contrarie ſe habens tardior reconvaleſcentia promittenda.

§. 7. (III.) Ratione modi exitus. Qvæ P. comites habet febrim, æſtum Inſignem, ſitim, pervigilias, deliria, nauſeam, Vomitum, anthraces freqventiores, ſudores copioſiores, &c. ea, utplurimum modo Lipothymiæ ſimili interimit decumbentes, ad Salutem terminatur hæmorrhagiis & & Abſceſſibus Criticis. Contra cui Capitis gravitas, affectus ſoporoſi, motus convulſivi, horrores & refrigerationes &c. conjunctæ ſunt, ad exemplum Epilepticorum & Apoplecticorum percutiuntur lethaliter. Vis autem morbi ſolvitur ſalutariter, propulſione ſudoris aut fluxu alvi judicativo. Rationes cum Medicum rationalem latere non poſſint, prolixius hîc perſeqvi inutile cenſemus.

CAP.

CAP. VII.

DE CURATIONE PESTIS PROPHYLACTICA ET THERAPEUTICA.

§. 1. Nunc ad applicationem eorum, qvæ in antecedentibus dicta ſunt, accedimus; methodum nempe medendi. Inſtituitur qvippe morbi ſcrutinium avidius & accuratius, non ut in cognitione eâ ſubſiſtamus, ſed judicium practicum exinde informemus & acuamus; Siquidem non *verbis* ſed *herbis* Medicus artis ſuæ probat excellentiam. Unde qvoqve in affectu noſtro, mox demonſtrabimus practicè, qvæ in prioribus pagellis theoreticè perluſtravimus. Applicationem nempe remediorum, juxta ternarium numerum indicationum, *Curatoriam, Præſervatoriam* & *Vitalem*, inſtitutam, producemus in medium; ut conſtet ex effectu ipſo, cura nempe, qvam feliciter noſtrum, de P. formaverimus antea diſcurſum.

§. 2. Licet itaque morbi facies abſcondita & progreſſus citiſſimus, Medici ingenioſitatem, opemque citiſſimam exigent; Vehementia autem & malignitas, curam non rarò deſperatam faciant; Abſit tamen ut animo excidamus penitus, cum (poſt Altisſimi opem) tot, variarum facultatum ſubſidiis, inſtructæ officinæ, longè promittant aliud, tot etiam, ſanitati priſtinæ, medicinæ robore, reſtitutorum exempla, contrarium evincant apertius. Unde non poſſumus in hoc Peſtis genere approbare judicium, *divini* alias *Hippocratis*, qvi 3 de Morb. Epidem. non dubitat aſſerere: *Naturalia remedia non tollere Peſtilentialem luem.* Nos meliora edocti, adjuvante Deo, curationem ejus & præſervationem per remedia ex triplici fonte, *Diætetico, Chirurgico & Pharmaceutico* deſumpta, ordiri & abſolvere inſtuemus jam proximè.

§. 3.

§. 3. Fons Diæteticus rerum ſex non naturalium adminiſtrationem juſtam commendat ſedulo. Primus inter eas aër eſt, qvi ut commune omnibus præbet pabulum, ita ante omnia in ſtatu puritatis conſervandus, aut ſi jam alterationes vitioſas ſubierit, convenientibus eſt emendandus. Obtinetur id per remotionem cauſarum peccantium. Si proinde vicinitas P. idem malum minetur regionibus adjacentibus, opus eſt, ut omnis, cum ejus modi loci incolis, converſatio inhibeatur, commerciorum commutatio tollatur, tranſitus liberi præcludentur, ſuppellectilia aut res qvævis ex loco ſuſpecto adductæ fugiantur penitus, aut non niſi fumigationibus decentibus correctæ, trahantur in uſum; cum ex his & ſimilibus legibus ſpretis, auram ſalubrem inſectam eſſe ſæpius, & P. M. incrementa ſumpſiſſe non parva, obſervatum ſit. Sin autem ex aqvarum & paludum intempeſtiva qviete, idem metuendum malum, aut jam tum præſens ſit, qvavis ratione iiſdem paretur exitus & via libera. Si cadaverum effluvia putrida ejuſdem cauſa tandem exiſtere poſſint, ſedulò ac altiſſimè defodiantur, ac terræ amandentur. Ventorum verò defectus compenſabitur ex parte tormentorum & bombardarum exploſione ſæpius repetita, campanarum itidem ſonitu & ſtrepitu continuato, his enim non tantum inſigniter movetur & vibratur aër, ſed præterea fumo pulveris pyrii, alteratur & corrigitur ſalubriter. Humectationem aëris, diluitionem & refrigerationem qvæ in pluviæ defectu deſideratur ſæpius, qvivis privatim in domicilio ſuo, ▽æ frigidæ ſæpiore conſperſione, linteaminumq; frigida tinctorum, in Conclavibus ſuſpenſione & expanſione ſibi conciliare poteſt. In genere autem qvamvis aëris malignam tincturam & venenoſam indolem corrigunt ſtrenuè, continuatio ignium & ſuffimigia in publicis viis & plateis ex lignis Juniperinis, qvercinis, betulaceis, abietinis, pineis, fraxineis &c. ſuccino item pice, ♆re ac baccis Juniperi &c. inſtituta; præeunte divino Hippocrate, Sylva-

rum

rum univerſarum incendio patriam liberante feliciter; qvid tormentorum exploſiones pulverisqve pyrii accenſio valeat, jam jam à nobis dictum eſt. Accuratius autem & rationabilis procedet is, aërisque purgationem felicius inſtituet, qvi cognitâ P. graſſantis vi coagulante, ſuffimigia ex lignis qvidem prædictis, aſt arefactis, ſvaſerit, iisdemque adjunxerit accenſiones cornuum, Cervi, hircinorum, bubul. Ungularum animalium qvorumvis, fumum itidem grati ferè cunctis Tabaci, cum ex horum conflagratione, aſcendentes atomi volatiles & alkalinæ, figens acidum in aëre hoſpitans, alterent & mutent ſalubriter, malignitateqve conſeqventer exuant: Contraria verò dominante Lue, viridium incendia cæteris præferenda eſſe, ratio dictitat. Dubia verò aut nondum rectè perſpectâ P. natura, alternationem aut commixtionem poſtulat ex utrisqve. De Domiciliorum electione hoc tenendum, qvod præter loci ſituationem convenientem, & liberum proſpectum, fugienda ſint vicinia eorum quoque Opificum, qui fætore ſuorum opificiorum auram inſidioſam ſæpius faciunt, quales ſunt: Cerdones & Pelliones aliique, unde & hi peculiari, *Nobiliſſ. Facultatis Medicæ, Lipſienſis*, Reſponſo & decreto, in Urbe, inſidioſo præprimis tempore, vix tolerandi. *Vid. D. P. Ammann. Medicin. Deciſor. Caſ. LXXXI.* Et cum Auſter utplurimum contrarietur veneno coagulanti, boreas autem reſolventi; (ratione deſumpta, ex §. 19. ſuper Cap. IV.) conclavia, dominium tenente P. coagulante, inhabitentur, meridiem reſpicientia, prævalente autem reſolutoria, eligantur ad ſeptentrionem vergentia. Omnium autem tutiſſimè agit, qvi, ex officii & conditionis ratione liber, locum maturè mutat, fugamque certam præ incerto eventu eligit; obſervato veteri Diſticho:

Sunt tria qvæ prorſus tollunt adverbia Peſtem
Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.

§. 4.

§. 4. De Reliquis Rebus Nonnaturalibus obſerventur, qvæ ſupra Cap. IV. diſſeruimus, in Victu haud certi qvid præſcribendum, conditio enim diverſa hominum, locus itidem & conſvetudo vix leges certas patiuntur, cum multum his dandum ſit; Attamen fugiantur ſollicite alimenta facilè putreſcentia & difficilis concoctionis, cibi contra εὔχυμοι atqve εὔπεπτοι eligantur, variisque corrigentibus condiantur, utpote *malis citriis, limonibus, malis granatis, aurantiis, ſucco ribium, berberorum* &c. In coagulante Malo ſpeciatim aromatica calida *N. M. Maces, Caryoph. Zingiber* &c. adhibentur cum fructu, Potus etiam probe defæcatus & naturæ amicus, hauſtus itidem vini generoſi Rhenani aut alius, ✠o bezoardico vel pro phylactico nonnunquam dilutus. Et qvod præcipuum frugalitatem & ſobrietatem, eo præprimis tempore, quilibet ſibi de meliori nota commendatas habeat, quibus ſolis, tanqnam prophylacticis remediis ſtrenuiſſimis, *Socrates*, ferociſſimam Athenienſium luem evaſit ſoſpes. Teſte *Ælian. L. V. C. 15.* In Somno & Vigiliis Motu & Qviete teneatur modus, iſte ad virium reſtaurationem moderatus utilis eſt, mediocritatem verò excedens, veneno faciliorem introitum & progreſſum parat. Motus verò inordinatus tum virium amiſſionem, tum pororum cutis inſigniorem apertionem, venenoque viam patentiorem, tum quoque humorum faciliorem motionem & excitationem, promovet. Alvi & Veſicæ recrementorum excretio, in ſtatu naturali & ſveto ſervanda accuratè, ne turbatâ una aut altera actionum Natural. variarum moleſtiarum eadem exiſtat Cauſa. Si proinde officio ſuo deſit alvus, convenientibus lenitivis & irritantibus ἄνω καὶ κάτω aſſumptis, incitetur iterum, Urina quoque juſtis propellatur decenter. Tandem, qvi vitæ & ſaluti ſuæ conſulere bene cupiunt, animi affectibus imperare diſcant prudenter; Irrita enim eſt qvævis, ſtrenuiſſimi etiam alexipharmaci, virtus, niſi ethicâ prudentiâ confirmetur animus prius. Qvis autem ſuc-

currct ſemper metu & terrore diffluentibus præcordiis? aut moderator erit irâ intempeſtivâ æſtuantibus animis? Qvis curis & anxietatibus liberabit ultra fas ſollicitos? aut periculum ſufficienter exponet audacibus & temerariis; Moderatio & Animi imperium medium hic eſt unicum. Muliebrem enim mentem arguunt meticuloſitas & terror, Iram temperare magnitudinis & generoſitatis opus audit. Ultra fas ſollicitum eſſe diffidentiæ erga Deum argumentum eſt, Chriſtianumqve non decet, Audacem verò & Temerarium in periculo periturum ſacer codex non uno in loco, prædixit.

§. 5. Chirurgia, venæ Sectiones, cauteria, veſicatoria, ſetacea, fonticulos, cucurbitulas, ſcarificationes, Sectiones, Infuſiones & Transfuſiones ſubminiſtrat, ſingula autem convenienter & cum cautione adhibenda jubet. Et (1.) Qvidem V. S. curationis gratia planè improbatur, cum periculi illa plena ſit & experientiâ conſtet, omnes eos qvibus ſecta fuit vena hoc graſſante morbo, mortem obiiſſe certiſſimam, Teſte. *Ambr. Paræo L. d. Peſt. C. 24. Roderico Fonſeca de Sanitate tuenda, Foreſto, Saraceno, Andernaco* & aliis. Præſervationis tamen gratia admittitur non nunqvam, in iis nempe Subjectis, qvibus Sangvinis copia conciliavit plethoram, aut conſvetudinis ratio ſancivit legem, aut ſvetorum fluxuum ceſſatio ſvadet revulſionem. Parcè tamen & citra virium (qvæ hic omnibus modis conſervandæ) jacturam fiat neceſſum eſt. (2.) Cauteria tum potentialia tum actualia, in Carbunculis ſive anthracibus magnopere uſu veniunt iisqve ſuppuratio promovetur egregiè, licet poſteriora, actualia nempe, pro crudelioribus habeant alii. (3.) Veſicatoria proſunt hic qvoque non leviter, tum ſi loco cauteriorum adhibeantur in maturandis Carbunculis, tum ſi & aliis partibus, pro revellendo ſero inutili & noxio, applicentur. Idem (4.) Salutariter efficiunt Setacea & fonticuli, prætereaque per hos Sangvis, ventilatur

tilatur ſalubriter, fuligines diſcutiuntur nocuæ,& atomi expelluntur vitioſæ; unde Medici Romani, qvibus Noſocomiorum præfectura tempore P. commendata fuit, aliqvot fonticulorum excitatione, vitæ ſuæ conſuluerunt optimè, eos etiam, hauſtis per reſpirationem (ut credibile eſt) venenoſis atomis, atrato colere ſignatos, deprehenderunt ſæpius. (5.) Cucurbitulæ ſiccæ bubonibus aut carbunculis applicatæ, venenum P. ex interioribus corporis partibus ad exteriora vi attrahendi inſigniori eliciunt, vicesque ſæpe ſudoriferorum minus moleſte ſubeunt (6.) Scarificationes autem, nunc loco venæ Section. Sangvinem aut revellere, aut extrahere, nunc cauteriorum vice in Carbunculis & tumoribus adhiberi poſſunt. Quas tandem quoque (7.) Modeſta ſectio aut apertio ſufficientius excipit. Demum (8.) Infuſoria & Transfuſoria Chirurgia, qvâ (ex ſuperiorum annorum invento) medicamenta & Sangvis novus, artificiali planè methodo & modo, venis ſive vaſibus ſangvineis immittuntur, nunquam felicius qvam h. l. applicari poteſt; cum maxime conveniens ſit morbi Indoli & naturæ. Qvi enim compendioſius & citius, citiſſimè progredienti morbo poſſet occurri, quam ſi coagulantis veneni, ⊖lis volatilis, liqvefacti & per ſiphonem venæ immiſſi, quantitate juſtà, debiteque repetitâ, frangerentur vires? aut reſolvens toxicum, acidi Spir. inſtillatione convenienti, figeretur ſalutariter? Omnium conſenſu, citius & certius h. m. obviam iretur morbi atrocitati. Quantas enim mutationes & alterationes, cum facultatum & virtutum etiam diſpendio ſubeunt medicamenta ſtrenuiſſima licet, ori ingeſta? quam tarda & diverſa pro facultatis naturalis robore aut debilitate eorundem exiſtit operatio? Qvo modo autem porro ſufficientius vires patientis reſtaurari & ad ſuſtinendam morbi vim, decumbens aptior reddi poſſet, quam ſi novi vigoroſi Sangvinis, agnini aut vitulini, medicamentis inſuper genero-

ſis corroborantibus diluti, transfuſione, tentaretur idem. Superflua & inutilis ſollicitudo eſt eorum, qvi indolis animalis unâ propagationem metuunt curioſè; cum in commeſtione carnis & lactis, Sangvinis quoque ipſius nihil ejusmodi vereantur. Optandum ſaltem foret, ſæpiori praxi in anteceſſum in Animalibus aliis tentatâ, Chirurgorum noſtrorum exercitata eſſet induſtria, ne, cum prima in decumbentibus deponant rudimenta, morte multorum perſolvenda ea eſſent. Novi equidem, quod ex conſilio Magni Dan. Sennerti potius adhibenda in ejusmodi caſu ſint remedia talia, quæ longâ praxi & experientià inventa ſunt probata, quam curioſis & novioribus inſiſtere inventis. Aſt cum & hæc rationibus fundentur ſufficientiſſimis, morbi indoli & naturæ ſint convenientia, ſucceſſumque proſperum ex obſervationibus quam plurimis, teſtem habeant, morbusque ipſe utplurimum ſit deſperatus, ubi anceps remedium experiri ſatius eſt quam nullum, non video, cur clyſmaticam hanc novam præterire & plane negligere debeamus. Obſervatis tantùm rite quæ in hoc paſſu, obſervandæ ſunt, conditionibus. *Conf. D. D. Major & Ettmull. d. Chirurg. Infuſor.* nec non *Ephimer. Gallic. paſſ.*

§. 6. Nunc tandem ad Pharmaciam tanquam ſacram anchoram confugere nos jubet neceſſitas; cum quicquid (poſt Omnipotentis auxilii implorationem) ſpei, in hac mortalitate nobis reliqvum eſt, id omne in hac depoſitum habeamus. Intendit autem ea primariò & ante omnia Veneni Peſtilentialis fundamentalem è corpore eradicationem per alexipharmaca & antidota Veneno proportionata & ſtrenua, dein Symptomatum graviorum, decumbentem affligentium mitigationem & abolitionem, *Viriumq; tandem* reſtitutionem.

§. 7. Antequam autem ad hæc Specialia accedimus pauca de generalioribus monebimus in anteceſſum. De aëris

emen-

emendatione univerſali ſuperius egimus equidem, aſt cum & ex pharmacia ulterius promoveri poſſit eadem, nunc præſcriptionem unam aut alteram addere placet. Imminente proinde periculo à Veneno coagulante præter ſupra memorata, ſeqq. ſuffimigia ſæpius ad conclavium emendationem adhiberi poſſunt.

℞ Rad. Ir. fl. ℥ij. cypr. rot. ℥ß.
Cort. arant. ʒiij. Fl. roſar. rubr. Mj.
Gumm. Junip. Thur. ā ℥j
Caryoph. cinam. ā ℈ij
Aſ. dulc. Oliban. Reſ. Tacamah.
Raſur. Succ. alb. ā. ℥ij
Veſicar. quibus adfertur Moſch. conciſ. nij
Zibeth. Moſch. ā g iij
M. f. Pulv. groſſ. S. Räucherpulver Vel.

℞ Fol. Salv. Laur. Roris mar. ā. Mß.
Roſar. rubr. majoran. ā p. iij.
Mac. caryoph. cinam. ā. ℥ß.
Styr. calam. benz. ā, ℥iß.
Alipt. Moſchat. ℥ij.
M. f. Pulv. ſ. ut prior.

Cui maſſæ, dictæ Hiſpanicæ arrident, ſeq. utilem & pretioſam commendatam ſibi habere poſſunt.

℞ Reſin. ſtyrac. calam. ʒiij.
Aſæ dulc. ℥ß.
Thur. el. ʒj.
Moſch. ℈ß.
Ambr. gryſ. ℈j.
Zibeth. giij.
Ol. Cinam. Rhod. N. M. citr. ā. giij
Reſin. lign. Al. ʒj.

Cum ſtyrace liqvidâ in mortario calido fiant paſtilli in formam ceræ hiſpanicæ.

§. 8.

§. 8. In Peſte reſolvente harum enumeratarum ſpecierum uſus moderatior ſvadetur, freqventior autem aceti rutacei, roſacei aut alius antipeſtilentialis in lapide calido conſperſio], indeqve conclaves occupans fumus, utilis erit. In uſu pro fœminis, moſchi ambræve, huic ſexui adverſus ſæpius odor, omitti aut gratior in locum ejus ſubſtitui poteſt. Pauperioribus autem ſufficere poſſunt qvæ in recentiori Conſtitutione Peſtilentiali *Lipſ.* commendat *Colleg. Medic.*

℞ Baccar. Junip. ℔j, ♀is ℔ß, Pic. ℥iij M pro ſuff.

§. 9. Purgationes fortiores in utroque caſu curationis aut præſervationis gratiâ improbantur abſolute, cum per easdem fermentatio excitetur in ſangvine vehementior, humorum motio intempeſtiva & venenum inde intimius M. S. communicetur. Leniores in poſteriori indicatione, ad primarum viarum eluitionem, & putredinis oriundæ præcautionem, adhibentur cum fructu. Poſſunt autem & hæ pro veneni P. qvalitate, variari & mutari. Ita ut coagulanti reſiſtatur per ejusmodi purgantia, qvæ penetrabili qvadam activitate ſangvinem ſimul volatiliſari & funeſtam ejus fixationem aut conglomerationem inhibere poſſunt. Inſerviunt huic ſcopo Aloetica Ellebonira, &c. Reſolventi contra obviam eatur iiſdem, qvæ incraſſandi vi pollent ſimultanea & hamoſis atomorum ſuarum angulis hebetiora Cruoris corpuſcula acuere, M.S. tenuiorem denſare, conſtringere & incraſſare poterunt. Obtinebitur id magis per Rhabarbarina, Tamarindina &c. Formulæ pro hoc inſtuto, parare, haud difficile erit,

§. 10. Vomitiones nec ſatis tutæ nec utiles videntur in hac lue, cum præter incommoda alia jacturam virium, inferant, inſigniorem. Attamen, ſi à cibi, difficilis concoctionis ingeſtione metuatur malum, aut de hauſto per alimenta, inſpirationem, aut alio qvocunqve modo, veneno, vigeat ſuſpicio, aut ſaburra ſive putridorum humorum circa vias primas

mas ſtagnantium copia, deprehendatur (quod ex ingenti ſæpius cognoſcitur cardialgia, Emeticorum operationes & hîc (ſicut in morbo Hungarico ubi hæc indicatio apparet) fructuoſas maxime judicaremus, non ſolum præſervando ſed & curando, obſervatis tamen ſedulo ſeqq. ut (1) Vomitorium ſit lene. (2) propinetur primo ſtatim morbi exordio (3) Vires patientis ſint fortes & conſtantes. Quod qvivis judicabit ipſe.

§. 11. Clyſteres ex ſententententia nonnullorum Medicorũ habendi eſſent ſuſpicioſi, cum eorum uſus, ut verbis *Barbetti* (*tract. d. Peſte, Chirurg. annex. p. 175.*) utar, *multis nocuerit, aliis parum profuerit, malignitati interim nullo modo occurrat*, & ex ſententia D. Willii *Tr. d. Morb. Caſtr. p. 68.* benigniorum m. Clyſterum injectiones, lethalibus ſæpius profluviis cauſæ fuerint. Noſtro tamẽ judicio, multifario ſcopo, *emolliendo, æſtum temperando, adſtringendo, abſtergendo, dolorem ſedando, fluxus ſiſtendo, &c.* inſervire poſſunt. Componuntur pro indicationibus diverſis, ex ingredientibus variis: *Malv. Violar. parietar. Mercurial. Lactuc. Sem. IV. f. ol. roſar. viol. Cap. papav. Herb. millefol. ejusq; ſucco Caud. eqvin. Polygon. Mell. violar. roſar.* &c. Formularum ex his compoſitio pro intentione facilis admodum eſt.

§. 12. Tandem ad curam ipſam accedimus, quæ pro morbi gravitate, medicamenta ſtrenua, pro citiſſimo autem progreſſu, medicum alacrem & providum poſtulant. Haud enim corrigitur in morbi augmento aut ſtatu, qvod in principio ejus irrepſit in cura vitium. Qvamprimum itaqve dominante hac lue, qvis male ſe habuerit, leviter qvamvis de infectione tutius eſt ſuſpicari, qvam aliam incuſare morbificam cauſam, proindeq; ad alexipharmaca recurrendum quantocys. Cum autem ex ſignis diagnoſticis de Peſtis præſentiâ non ſit amplius dubitandum, eò videndum, ut de genio morbi, coagulans nimirum aut reſolvens is ſit, conſtet profundius, ac ad applicetur eũ curandi methodus. Contra ſi ſymptomatum varietates & viciſcitudines confundent judicium Medici idq; reddant dubium, ſecurius proceditur, ſi ex compoſitionibus vulgaribus utriq; Veneno dicatis, atrocitati morbi eatur obviam. Siſtemus præſcriptiones, pro tribus diſtinctis indicationibus. In ſpecie Coagulationi malignæ reſiſtunt ſeqq.

℞. ⊖ C.C. volat. Succin. vol. ā ℈j
C. C. ſ. △ prpt. g. XV. ♉ diaph. ℈ß.
M. f. pulv. div. in 2. part. æq. S. flüchtiges Schweiß-Saltz auf 2. mahl.

℞. Magiſt. Spinar. viper. ℈j ⊖ volat viper. g. Xij. bezoard ☉℈ß. M. S. köſtliches Schweispulver auf 2. mahl.

℞. Tinct. Bez. D. M. ʒß. Sp. C. C. rectific. g. vj. S. bezoardiſche Schweiß. Tinct.

℞. Elix. Propr. Par. ℥i. Tinct. bez. D. M. ʒjj. d. ad Vitr. S. bezoardiſche Tinct. 50. tropffen.

℞. Spir. ✱. C. C. rectific. ā. g. XV. ⊖. vol. viper. g. V. Schweißtreibenden Sp.

℞. ▽æ Sambuc. Theriac. Herc. Sax. cal. ā ℥iij Sp. ☿ rectif ℈j. C. C. rectif. g. v. mithrid. ver. ℈j. Extr. Junip. g. Xij. M. ad fictil. S. Schwitzträncklein auf einmal.

Reſolventi autem Veneno opponuntur Alexipharmaca hæc:

℞. Magiſt C. C. ocul. 69 Corall. ā. ℈j. Spin. viper. g. iij. bezoard min. ℈ß. pulv. pannon. r. ℈j. M. d. in 3. p. æ. S. bezoardiſches Schweißpulver auf 3. mal.

℞. Pulv. pannon. r. bol. arm. ā ʒß ♁ diaphor. Spec. d. hiac. ā℈j. Bez. or. g. viij; Laud. op. g. iij. M. S. Pülverchen auf 4. mahl alle 3. Stunden mit zum Schwitzen/ ubi calor & fluxus alvi ſimul urgent.

℞. Diaſc. Frac: ʒßOl. ☿i fætid. g. viij. Magiſt. Coral. C. C. pulv. pannon ā g. vij. M. f. bol. n. ij. S. Schweißbiſſen auf 2. mahl

℞. ▽ acetoſell. cord. Her. Sax. fr. ad℥iß. Sp. ⊖i. ℈j. Magiſt. CC. corall. ℈ß. bez. or. ℈ß. ſir. accetoſ. citri. ʒij. M. S. bezoardiſcher Schweißtranck auf 2. mahl.

Utriq; toxico contrariantur antidota enumeranda:

℞. Theriac. Andr. ʒj. ⊖ viper. vol. Magiſt. corall. ā g. v. M. pro bolo.

℞. Diaſc. Fracaſt. ℈iiij. Mithrid. ver. ℈j. ♁. diaph. g. v. Gel. C. C. q. ſ. M. pro bol.

℞. Pulv. bez. D. S. Spec. d. hyac. ā ℈j. Pannon. rubr. g. vj. bez. miner. ℈ß. C. C. phl. ppt. g. viij. bez. or. ℈ß. M. d. in 3. p. æ. S. bezoardiſches Hertzpulver auff 3. mahl. alle 2. Stunden eins.

℞. Roob. ebul. ʒi. ♁ diaph. ℈ß. C. C. ph. ppt. ℈j ſacch. q. ſ. f. bol.

℞. Elect. Diaſc. Fracaſt. ℥iij pulv. cord. Saxon. g. XV. bez. min. gr. viij. Sir. corall. Sacch. fin ā. q. ſ.

§. 13. Hiſce aut aliis alexipharmacis, diaphoreticis aſſumptis, æger componatur ad ſudorem, qvi intra 24. horas ter qvaterve plus minus, prout ægri vires ſinunt, repetendus eſt, iisque, utpote in qvibus totius curationis cardo vertitur, virus perniciosum excutiendum ſufficienter. Qvibus eruptio ſudoris ſuccedit difficilius, lateribus calefactis, & plantis pedum, appoſitis, aut ſæpioribus frictionibus, vapore itidem ▽æ calidæ in qva diophoretica incoacta ſunt, ad ſudandum impelluntur. *D. Timæus â Guldenklee* panem Siligineum calentem & Theriaca Venetâ Spirituque Vini, impletum ac regioni umbilici impoſitum tanqvam certum remedium commendat ſedulò *Diſſ. Conſ. Peſt.* Qvi m. nec hac ratione ſcopum obtinere poſſunt, freqventiores antidotorum uſus tamen ſibi habeant commendatos, intereaq; corpus ſemper ſervent calidum & à frigore immune.

Si autem qvod ſæpius accidit, crebriores Vomitiones antidotorum & Alexiteriorum Vim eludant, irritamq; Medici intentionem faciant, externis corroborantibus debilitati Ventriculi ſuccurratur, facultasq; expultrix convenientib9 ſedetur, interim antidota debita tā diu repetantur donec â ſtomocho recipiantur, & ad deſtinatū Scopum digerantur. Reliqva obſervatu digna, utpote; Stragularum poſt ſudorem commutationē, Somni, in principio præprimis morbi, fugā, Antidotorū aliqvoties inſtituendam variationē, debitāq; per alimenta & medicamenta viriū reſtitutionē, qvilibet ex judicio proprio facile ordinabit; unde â prolixiori Regularum præſcriptione nunc abſtinemus, unicam Formulam externo corroborationis uſui dicatam, addentes.

℞. Balſam peruv. ℈j.
Ol, ſtill rut. angel. maj. Salv. citr. ā g. V.
Cinam. g. vj. ſuccin. g. iij.
Scorp. compoſ. Matth. ℈ß.
N. M. expr. pro balſam q. ſ. Pic. gr. q. ſ. ad nigred.
M. ad pyxid. ebur. S. Hertz und Pulß Balſam.

§. 14. De Tumoribus venenoſis, Bubonibus nempe & Carbunculis id notandum; qvod, ſicuti ſalutarē naturæ conatum probant, ita omnib9 modis ſint adjuvandi, & ad maturitatem promovendi. Hoc modo ut prius attrahentia adhibeantur fortiora, qvo virus peſtilentiale magis magisq; eliciatur foras, per cucurbitulas ſiccas, Veſicatoria, bufones exſiccatos, Cataplaſmata & Emplaſtra varia Inſerviunt huic intentioni *Empl. magneticum Angel. Salæ* Cataplaſma *ex cepa aſſatâ & theriacâ compoſi-*

tum, item ex ficubus &c. Dein maturantia & ſuppurantia applicantur ſedulò qvòd *Diachylon ſimplex*, *de Meliloto* aut *Catapl.* ex *Herb. aneth. Chamæm. melilot. malv. rad. lil. alb. alth. Sem. lin. fœnugr. Ungu. dialth. Ol. Chamæm.* &c. efficiunt ſufficienter. Poſt puri venenoſo paretur exitus, & ſi naturæ robore Tumorum ruptio ſeqvi nolit, qvavis ratione, medicamentis, veſicatorio, ferro, cauterio potentiali aut actuali, inſtituatur. Cavitati ulceris inſeruntur ad ſufficientem maturationem & mundificationem ungventa varii generis ex *Ol. Hypericonis*, *butyro*, *terebinthinâ*, *ov. vitellis* &c. Hinc retroceſſioni Veneni aut ulteriori Tumorum progreſſioni, reſiſtatur per defenſiva convenientia: *Ungventum Santalinum cum oleo roſatô & Camphorâ*, *Jovis*, *Empl. d. bolo & Terrâ Sigillatâ*, &c. (An a. Saphyri aut hyacynthi, Bubonibus aut Carbunculis facta applicatio, peculiari & ſpecificâ qvadam attrahendi vi venenum ad exteriora eliciat, & ſic omnium ſupra enumeratorum medicamentorum officio fungatur, judicio eorum, qvibus per experientiam, ſcientia certior eſt, relinqvimus, â ratione ſanè parum aut nihil præſidii adipiſcitur.) Tandem ad ſatietatem extravaſato pure & mundato Ulcere, ſarcotica & Epulotica adduntur, ac Ulceus, *emplaſtro de Lapide Calaminari*, *albo coctò* aut alio ejusdem facultatis, clauditur & citatriſatur; alexipharmacorum autem interior uſus, pro multiplici intentione continuatur, & deniqve poſt perfectam Bubonum & carbunculorum evaneſcentiam, curatio leni purgatione & evacuatione clauditur.

§. 15. Reliqua ſymptomata multifaria & gravia, cum ſingula peculiarem fere curandi rationem poſcant, (quod pagell. harum anguſtiæ non ſinunt) tum quoq; curato morbo, ultro remittant & deſinant, hâc vice, Studio præterimus, Contenti potisſimâ morbi vim nos reſpexiſſe, qua fractâ reliqui accidentales accesſiones exſpirant ſpontè.

§. 16. De amuletis, quæ magni apud multos æſtimantur, tribus verbis monemus, eorum alia, ut characteriſmi & Scripturæ varii generis, eſſe ſuperſtitioſa magica & illicita; alia, ut *Succinum album*, & compoſita varia ex *camphora angelic.* CC. ✳ &c. collo appenſa, parum prodeſſe, aut ſaltem id agere, quod non noceant; alia v. ut Mercur. vivus, Arſenicum &c. noſtro judicio, non ſine cauſa habeantur pro ſuſpectis & periculoſis, manente tn. unicuiq; ſuâ mente & opinione, liberâ.

§ 16. Ultimo de Prophylaxi P. diſſereremus aliqvid, niſi hinc inde de eadem monitum eſſet; Prætereaqve certum ſit: *Omne curativum qq. eſſe præſervativum.* Unde non dubito qvin & qvantum huic indicationi ſufficiet ex antecedentibus hauriri & promi poſſit, adhibita ſaltem rectâ rationis & judicii trutinâ. Qvare in hisce nunc ſubſiſto diſſertationiq; huic rudi Minervâ, magis delineatæ, qvam elaboratæ finem impono; Si qvæ ad morbi indolem & naturam recte dicta fuerunt, gaudeo; Sin minus & ego qvandoq; in ejus ſcrutinio dormitaverim, materiæ gravitate excuſabor ſufficienter. Conatibus interim favorem, erratis veniã Viri boni facile rogitati concedent. Qvod ſupereſt Deum immortalẽ calidis ſolicito votis, Cervicibus noſtris imminens, horrendum malum avertat clementer nosque â funeſta hac Lue aliisq; calamitatibus ſervet liberos ac immunes. Huic ſoli & Summo DEo ſit Honor & Gloria ſempiterna.

FINIS.

AD NOBILISSIMUM ET CLARISSIMUM

DN. M. JOHANNEM GERDESIUM,
HOLMIA SVECUM,
MEDICINÆ CANDIDATUM,
DE PESTE PUBLICE
DISPUTANTEM.

MAgnum *Peſtis* malum eſt, & inter *maximas* DEI *Plagas* numeratur. Eſt *malum onerans*, & hinc in Sacris *Onus DEI* nuncupatur. Neq; facile qvis omne *damnum*, & abundantiſſimum *malorum cumulum* ad accuratum computum in *Peſte* vocare poterit? Stupendum hoc *Onus* eſt! Eſt *Malum volans*, dum cito volat per *Terras*, cito volat per *Civitates* atq; *Domos*, cito volat per *omnes* humani *corporis artus*, ſi DEUS *Populum, Urbem, Hominem*, punire conſtituit; Eaqve de cauſa *Volanti ſagittæ*, juxta *Regium Pſaltem*, comparatur. Eſt *Malum Vaſtans*, dum vaſtat *Homines* & *Animalia*, *poſſeſſiones* & *bona*, *Provincias* & *Regna*. Neq; facile *Morbus* apud *Medicos*, *oneroſior*, *celerior*, & *exitioſior Peſte* reperitur. Cogitandum igitur maturè de *remediis*. Optimum coram DEO *Pænitentia* remedium eſt. Neq; vulgus contra *peſtiferam luem* Aſyla neſcit, qvæ recepto verſiculo communiter exponit: *Hæc tria peſtiferam tollunt adverbia cladem*, Mox, Longè, Tardè, *cede, recede, redi!* Sed Honorandꝰ etiam *Medicus* eſt, *Naturæ* Conſervandæ *Conſul* atqve *Patronus*. Ex præſenti labore, VIR NOBILISSIME, certè non modo tua *prudentia*, ſed ex *medendi peritia* cunctis innoteſcit. *Prudenti conſilio* tempori ſervire ſtudes, dum hac tempeſtate, qva vicina *Regna*, *Hungariæ* pariter & *Bohemiæ*, cum adjacentibus *Provinciis*, & (proh dolor!) *Fines* etiam *Electoratus Noſtri*, *Peſtis* morbo turbantur, *conſilia* contra *peſtem* ſuſcipis, *media* contra *peſtem* dirigis, *arcana* contra *peſtem* ſuggeris, & publico prodeſſe cupis. Arguit & illud inſignem *Medendi Peritiam*, dum publico documento non adverſus *levem* vel *mediocrem* ſed omnium *graviſſimum morbum* ſurgis, & in eo qvæſitum hactenus *Apparatum Medicum* omnibus prodis. Gratulor TUÆ CLARITATI de hoc egregio futurorum *Laborum* & *Honorum* Præludio DEUMq; veneror ex intimis, ut Gratia cæleſti tantis auſibus benedicere, *Scientiam* hanc *Medicam* indies augere, *Prudentia* ac *Experientia* ſolida ſufficienter eandem munire, munimenta talia *Medendi felicitate* potenter apud *Summos* ac *Imos* promovere, & hanc illuſtri *meritorum* multitudine clementisſime non ornare modo, ſed & coronare velit per & propter SUMMUM MEDICUM CHRISTUM JESUM! *Vale*, CLARISSIME VIR, & feliciter age ſemper, qvod cælitus optat

Scrib. Witteb. d. 18. Jul. Anno 1680.

TUAE CLARIT.
Studioſiſſimus
JOHANNES Deutſchman/D.

Ad Dn. M. Johannem Gerdes, Svec. Holmienſem.

Clariſſimum Medicinæ Candidatum Amicum & Fautorem colendum &c.

INſiſtis, ut ego qvondam, Veſtigiis *Galeni*, qvi de *Peſtilentiæ* medelâ, tum maximè cogitabat, cum illa jam incidere per urbes & paſſim per agros cæperit. Hujus mali indoles ac ingenium, eſt tam diverſimodè pernitioſum, ut nec mente ſatis comprehendi qveat, & multiplex reqviratur via medendi. Eſt, ubi illa lues pugnat ante in mentem ac eam prorſus & mox eripit vitam. Eadem viciſſim hominem tollit citiſſimè, integris penè ſenſibus. Aliqvando ſoporifera reperitur, qvæ falſo ſomno & inſidioſo, placidam mortem affert, ceu benigna. Qvædam privatis membris bellum indixit, ut nunc cuti ad corporis ambitum extimum ſpectanti, nunc extremis pedibus, ut eſt ap. *Galenum l. d. uſ. part. corp.* Nunc ſolos pueros tollit, hominibus adultis & multùm Senibus parcens. Nunc ſævit maximè teſte, *T. Livio*, in ſervitia, nunc tetrior in ſexum ſeqviorem privatim exiſtit, qvemadmodum exempla eâ Diſputatione, qvæ de *Peſtilentiâ* inſcribebatur Jenæ Anno 1636, in medium dedi. Cognita qvoqve fuit *peſtis* cruenta, qvippe qvâ Sangvis ex multis ubertim inſtar rivulorum erumpebat membris corporis. Tam variis formis hoc malum induit ſeſe ceu belua multorum capitum. Nihil hîc valebit Hercules, qvi qvondam diram contudit hydram. Cum depopulante beſtia comparat peſtilentiam *Galenus de Theriac.* aſt ei Speciem ejuſmodi corporis non attribuit, ut qvondam teſte *Philoſtrato*, *Apollonius Tyanæus*. Hic mediâ è turbâ hominem pauperculum atqve eum pannis & annis obſitum erui, corripi, necari juſſit. Corpori lapidibus fuſtibusqve cooperto, cùm tandem & veſtimenta detraherentur, monſtrum horribile, beſtiæ tamen aſſimile conſpiciebatur. Peſtilentia non eſt belua qvædam tetra, non eſt monſtrum, aſt ejus naturam qvi perſpicere ſtudet & vim tàm diram medendò depellere, is certè cum feroci beſtia, cum multis monſtris opinionum conflictari, neceſſe habet. Qvot capita tot ſenſus. Hinc infinitæ diſſenſiones ac innumeræ. Utqve deinceps cognoſcitur aut potius fingitur hujus morbi natura ac cauſa, ita ad eam paratur via medendi.

medendi. Felix, qvi in unaqvaqve re qvid ſit veri falſivé perſpicere. Tibi, Clariſſime Domine Candidate, facta eſt poteſtas de peſtilentiæ naturâ & curâ diſputandi & data qvoqve libertas dicendæ, probandæqve ſententiæ. Gratulor Tibi, tum de hoc labore tam fructuoſo, tum de eo, qvo polles, ingenio. Qvod dogma hîc non aliqvid habet dubitationis, qvod remedium omni ex parte ſalubre cognoſcitur, qvodnam reperitur ſemper certum, ſemper efficax, nunqvam ſat cautâ adverſus tam inſidioſum mali genus mortalitate? Nonne Hippocrates præterea vult mederi oportere & communia & propria intuentem? Qvodnam præceptum hîc eſt perpetuum? Nec ê gravi loco in ſalubrem tranſitus ſemper tutus ac certæ ſaluti eſt? Noſcunt eum occulto Naturæ bono aves ac eligunt, qvas autore *Laurentio Jouberto l. de peſtilentia c.5.* conveuit ſeqvi. Pertinetqve ad rem teſte *C. Celſo l. i. c.3.* qværere, peſtilentiam an auſtri excitaverint. Qvid? Nihil in commune dici, nihil in univerſum haberi utile poteſt ac ſalutare. Judicium nunqvam non adhibendum, qvod in TE agnoſco firmum, & ratione qvoqve utendum eſt, qvam tu ſcis celerrimè explicare, ut Tibi, qvid opus ſit, ſtatim venire in mentem qveat. Inde nunqvam deficies conſilio, qvod Tibi etiam ſub manu, qvod ajunt, naſcetur. Ex his auguror ac præſentio Patriæ Tuæ & ornamento TE & auxilio magno futurum eſſe. Witteb. d. 16. Julij Anno 1680.

T. Clarit.

addictiſſimus

CONRADUS VICTOR SCHNEIDER,
D. Prof. P. &c. &c &c.

Clariſſime & Cariſſime

DN. M. JOHANN. GERDES,

dignisſime ad Patriam ornandam

Medicinæ Candidate;

DUm in loco Muſis & Orthodoxiæ ſacro Evangelicæ, jam ultra annos XL, & qvod amplius excurrit, ab omni contagione peſtis libero, ad hunc usqve diem contrà tot hoſtium inſultûs benigniſſimè divinâ Providentiâ ſervato, exqviſitè doctam de PESTE diſſertationē publico in præſens exhibes rem ſanè præſtas eruditione

tione tuâ cum digniſſimam, tùm non vulgaribus elogiis condecorandam. Doces etenim, qvid illud mali ſit, qvod, uti olim, ita intra hoc biennium tot jugulavit hominum myriadas, ex Oriente ortum, per Sardiniam, Calabriamq; atq; Neapolitani Regni Venetæq; ditionis loca plurima irrepſit, mercibus, hominibus, & neſcio qvo demum fomite ad Dalmatas, Pannoniam utramqve Auſtriam, Moraviam, Bohæmiam, & vicina loca aliqvot, veneno fuerit diſſeminatum. Fateris etiam ἐπαυτοφώρῳ, qvàm iniqvè egerint cum WITTEBERGA, veritatis cœleſtiſſimæ, Lutheri miniſterio, propagatrice, invidi aut ignari, cùm per oppida, urbes, regiones, nunc obnoxiam tot morbis civitatem Academiamqve, nunc peſtifero infectam aëre diffamârunt paſſim. Cathedram tot applaudentibꝰ amicis Patribus Commilitonibusq; animas cum ſumma laude. Teſtis egomet domeſticus vocari poſſem, ſi & ſtudium inſigne tuum, & valituram in exemplum vitam hîc uberiùs deprædicem. Succeſsûs igitur precabor proſperos ad votum; uti, cujus jam in oculis ſedulitatem fero, mox auribus accipiam creſcentis famæ tuæ apicem. Intereà ſalvebis & favebis

Scrib. è Muſéo ipſis Non. Qvinctil. Anno cIↄ Iↄc LXXX. *Tuo*

G. C. KIRCHMAJERO.

NOn vulgare ſapis, FAUTOR, ſublimius urges
Curſus qveis monſtras doctius ingenium.
Is oppugnatum generoſis auſibus hoſtem,
Hoſtem qvem merito mœnia cuncta timent
Hippocrates talis, talis fuit ipſe Galenus,
Heroas jactat qvos Medicina ſuos:
Perge modo Hippocratis Te laus Te fama manebit,
Victor eris; Victor digna brabeia feres.

Clariſſimo & Nobiliſſimo Dn. Reſpondenti, Contubernali & Convictori olim ſuo candidiſſimo, Fautori honoratiſſimo ſcrib.

CHRISTIANUS Vater / L.

Errata qvæ per abſentiam meam irrepſerunt, & potiſs. liter B. & D. reperiuntur B. L. ipſe corriget.